
[illegible]

[illegible] 216 [illegible]

[illegible]






Iacobi à Bruck


Angermunt cogn.

# EMBLEMATA POLITICA.

Quibus ea, quæ ad principatum spectant, breviter demonstrantur, singulorũ verò explicatio fusius proponitur

OPUS NOVUM.

*Prostant Argentinæ apud Jacobum ab Heyden.*
*Et Coloniæ apud Abrahamum Hogenberg chalcographos.*
*A°. M.DC.XVIII.*





MENS MAGNA PENSAT

MERITO NON FAVORE

# INVICTISSIMO ET POTENTISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DN. MATTHIÆ I. D. G. ROM. IMPERATORI SEMPER AUGUSTO. Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, Regi: Archiduci Auſtriæ;

Duci Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Wirtembergæ, Sileſiæ; Marchioni Moraviæ & Luſatiæ, Comiti Habsburgi & Tyrolis, &c. Principi ac Domino meo Clementiſſimo.

*SALUTEM ET FELICITATEM.*



Unus Principum quàm latè diffundatur; quàm ſollicitè adminiſtretur; quàm infinitis periculis ſit expoſitum; etſi prudentiores conjecturâ adſequantur, uſuq; doceantur: Principes tamen optimè nórunt, quorum humeris moles tota Reipub. recumbit. Univerſi enim Imperij curam ſuſtinere: populis & regionibus leges & juſſa ponere: Unum omnibus imperitare, ac de ſingulorum ſalute ſollicitum eſſe, nonne arduum? Majus quippe eſt quiddam & divinius, ac mens humana cogitationibus adſequi, induſtria efficere poteſt! Quem tandem Principem cura publici Boni, & populorum Salus tangit: tùm, ut DEO, cujus in terrâ vice fungitur, officij ſui exactam reddere poſſit rationem; hujuſque partes omnes ritè expleat; quanta ſollicitudo mentem ejus exagitet neceſſe eſt? Jam quæ illum pericula in

 admi-

administratione ipsâ excipiunt? quæ discrimina non subit? intra palatia insidiæ, foris apertæ fraudes: non illi præsidium tutum: quippe; quos fidelissimos credit, ab iis frequentissima Nex. Olim plerosque Cæsares cruentâ morte periisse legimus: & nostra ætas (proh dolor!) similia optimorum Principum exempla numerare potest. Romanus olim Consul & Orator vidit & expertus, vitam imperantium mille obnoxiam periculis, dum ait: *ò conditiones miseras administrandarum Civitatum & provinciarum! in quibus diligentia plena simultatum est, negligentia vituperationum: ubi servitus periculosa est, libertas ingrata, sermo insidiosus, assentatio perniciosa. frons omnium familiaris, multorum animus iratus, iracundiæ occultæ, blanditiæ apertæ, &c.* Ista ut Princeps declinet, regnumque & se muniat ac firmet; Prudentiâ maximè opus est. Hæc verò, cùm in Principes, (ut LIPSIUS verè & verecundè ait,) vix cadat: Indè plurimi docti viri priscis & his temporibus, libros ad Principatum administrandum spectantes, conscripserunt: ut his eos juvarent, qui ad populos moderandos à DEO sunt constituti; cùm Usu omnia adsequi, & experientiâ (prudentiæ fonte) addiscere difficile, imò negatum sit. Alij quidem fusiùs; alij pressiùs præcepta Civilis doctrinæ consignárunt: quisque tamen ad eundem finem direxit. Ægyptij Sacra & Publica notis Hieroglyphicis involverunt. In Numismatibus veterum Impp. notas quoque varias videmus, quibus peculiaris est significatio. Et hodiè Principes Emblematis delectari, quibus abstrusa animi sensa exprimunt, novimus. Habet enim nescio quam jucunditatem, cùm cogitationes nostras notis & signis ita effingimus vel exprimimus; ut tamen aliis incognitæ sint. Utilitatem & jucunditatem, quæ ex Emblematis redundat, cùm pridem perspicerem; animum quoque ad hæc effingenda, tùm quæ jam æri incisa prodierunt, adjeci. Inprimis verò ansam mihi præbuit, Publicus tot populorum Adplausus, cùm Va Cea Mtas superioribus annis, Regni

Ungariæ

Ungariæ, pòſt Bohemiæ Ordinum unanimi conſenſu, in REGEM inuncta: tandem ad ſummum S. R. IMPERII faſtigium, Illmorum Principum Electorum concordibus ſuffragiis evecta fuit: ut cùm Proceres & Summates Regnorum & Provinciarum, publicè ſibi de Va Cea Mte, utpote Principe clemente, benigno, juſto, glorioſiſſimo ſint gratulati, votaq; pro ejuſdem Salute DEO nuncupárint: privatorum verò quiſque eidem Felicitatem longævam ſit precatus: Ego quoque horum numero me adjungere: & notis hiſce paucis, animum erga Vam Ceam Mtem humillimè devotum demonſtrare volui. Cumque alij lætitiæ & congratulationis ſigna, donis tantâ Majeſtate dignis teſtati eſſent: mihi aliud non fuit, quàm exiguum hocce, quo votivam meam adclamationem, tùm cultum demonſtrarem. Defuit hactenus occaſio eundem promendi: nec non artifex, qui notas animi exſculperet. Nunc utrumque nactus, tantò lætior ad Væ Cæ Mtis pedes munuſculum hocce depono; quantò certior ſim, Reges olim viliſſimas res, à vilibus ſibi oblatas, non ſpreviſſe: & quantò magis confidam, Vam Ceam Mtem pro ingenitâ Sereniſſimæ domus Auſtriacæ Principum Benignitate & Humanitate, humillimum ac debitum cultum meum clementiſſimè ſuſcepturam. Eccui enim major debetur, atq; Væ Cæ Mti? quæ DEI, ſuperni illius Regis, imago animata eſt; quã ipſe, archetypo ex ſeſe ſumto, effinxit? Cui potiſſimùm opellã hanc meã dicare & conſecrare debui, quàm Væ Cæ Mti? quæ tot Regna, tot provincias & populos moderatur? Remquepublicam, tanquam Objectum ampliſſimum, in quo cogitationes & actiones ſuas ex juſtitiæ normâ & lege exercet? Alia quidem aliis conveniunt; Principum verò eſt, imperio populos regere, Benignitatem, Clementiam, Liberalitatem exercere, Juſtitiam adminiſtrare. His enim virtutibus DEUM, ejusque actiones imitantur & exprimunt. Atque principalem hunc finem officij regalis, hîc ex parte ſignare volui; ſi non pro

 digni-

dignitate, at certè ex voluntate. Offero itaque Væ Cæ Mti munusculum levidense; non tàm tali Majestate dignum: quàm argumento cultus, & votorum pondere grave: utque Va Cea Mtas illud clementissimè suscipere dignetur, quâ par est submissione rogo. DEUM OPT. MAX. cujus in manu Cor Regis, porrò precor; ut Vam Ceam Mtem S. Imp. Romano, aliisque Regnis, tùm populis subjectis, Bono & Saluti, diutissimè incolumem & florentem servare, longævam felicitatem largiri, & suâ gratiâ benignè fovere velit. Argentorati Kal. Martij ANNO M. DC. XIIX.

Væ Cæ Mtis.

*Subjectissimus*

*JACOB à BRÜCK Angermundt cognom.*

AD

AD NOBILEM ET CLARISS. VIRUM DN. JACOBUM à BRUCK ANGERMUNDT cognom. amicum meum singularem.

*MAgnus honor, veteri deducere sanguine gentem,*
*Et serie longâ dinumerare patres.*
*Major at ingenij constipare artibus arcem,*
*Imbuere & variâ cognitione animum.*
*Maximus æternæ virtutis luce coruscum*
*Atq; hîc atq; alibi spargere posse jubar.*
*Hæc tria BRUCKIADE, cùm sint tibi propria, qualem*
*Te quondam dicet publica Fama virum?*
*Crede mihi haud vanè: Princeps mirabitur olim*
*Consilium, Lumen Gens tua, SLESIA Fidem.*

Adamus Godfredus Bercka, Baro de Duba & Lippa &c.
F. Argentinæ.

CUncta hominum pereunt: est nec durabile quidquam.
Nil nisi Fama manet post mortem sola superstes.
Hanc quicunque studet factis acquirere & arte;
Is verè ac merito dicetur jure beatus.
Hanc quia servâsti, hanc auges, scriptisque coronas:
Inde tuum nomen, Laus, summa sub astra feretur.

*Jan-Bernhard. Maltzan L. Baro à VVartenberg & Pencelin, in Militsch & Freyhan, Præfecto suo amando l.m.q; sbbt. Argentorati.*

*ERigitur magno Pyramis velut alta labore:*
*Erecta ut stabilis plurima secla manet.*
*Sic sudore gravi Virtutis fama paratur:*
*Parta semel lethi tristia fata fugit.*
*Non te pœniteat BRUCKI duri ergò laboris,*
*Quem vigil in studiis, non sine laude, locas.*

*Phœbus*

*Phœbus cum Musis tibi præmia grata rependet:*
*Et Virtus nomen celsa sub astra feret.*
*Te quoq; Magnates digno amplectentur amore;*
*NIL ULTRA, optavi, ut dicere jure queas.*
Amoris & Benevolentiæ ergò L. M. Q. Ephoro suo colendo apponebat,
Andreas Kochticzky Iun. L. B. à Kochticz & Lubliniecz.

NOn est cujusvis Emblemata fingere docta,
Et quibus haud aliquis sensus ineptus inest.
Qualia sunt tua BRUCK, MORALIA, BELLICA dicta,
Ingenij summi pignora certa tui.
Et tamen his fingis majora, POLITICA nempè,
Egregium studij dexterioris opus.
Nec tua Nobilitas solùm, nec nomen avorum
Te juvat; ast proprio Marte brabêja cupis.
Macte tuis Emblematibus satis eruditis!
Sic fugies nigri lurida busta rogi.
*Carolus Heinricus Czigan Baro de Slupska, &c.*
*ἐσχεδίασεν in Illustri Collegio Tubingæ.*

*AD FAMAE fanum pontem fabricáre perennem,*
*Qui de ponte satis nobile nomen habes.*
*Nam Genus & Proavos, & quæ non feceris Ipse,*
*(Dignum ô laude virum!) propria nulla putas.*
*PLUSne ULTRA venies cum perpetis ad sacra Famæ?*
*NIL ULTRA: tibi si contigit ista, sat est.*
Wenceslaus Fridericus Czigan L. B. de Slupska. sbbt Tubingæ.

QVidquid habebat Amor cognatioque omnis Amorum,
Dulce, come, delicatum, floreum.
Quidquid habebat Atlantiades & Pallas Athena.
Entheum, sublime, acutum, lucidum, reconditum:
Prorsus id insumptum est lepidis, BRVCKI, omne libellis,
Ferre nomen queis dedisti non iners Emblematum.
Iis certè apparent noctuque diuque Voluptas
Cumque Honore Suada, cumque Gratiis Lubentiæ:
Inque caput flores illorum Chloris abundè
Spargit, & nectar Lyæus, pomaque Autumnus pater.
Plaudit Mnemosidum populus; iuratque perennem
Gloriam his famamque BruckI musteis Emblematis.
IANVS GRVTERVS.

EMBLE-


# AD INVICTISSIMUM ET POTENTISSIMUM ROM. IMP. AUG.

## DN. MATTHIAM I.


Regem Germaniæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, &c.
Archiducem Auſtriæ, &c. Principem Opt. Max.

## EMBLEMA I.

### HOC SUSTINET ORBEM.



*ORdine diſpoſuit juſto res* JOVA *creatas:*
*Hocq; vicem in certam convenienter eunt.*
*Imperij voluit populos moderamine flecti:*
*Huic ſuus obſequiis utq; vigeret Honor.*
*Ritè tuis Orbem* CÆSAR *ſubjecit habenis:*
*Ipſum juſtitiâ, quò moderére ſacrâ.*
*Ergò vive diù felix Orbiq; DEOq;!*
*Protege Conſiliis publica jura piis.*



Ine ordine certo rerum naturam constare non posse, nedum Imperia, nemo, nisi amens negaverit. Ubi enim ordo non est, nec servatur: ibi Confusionem, Chaos malorum existere necesse est. Si verò oculos ad superiora attollere: si ad inferiora demittere velimus: Omnia ex DII OPT. MAX. sapientiâ & Consilio, suo ordine ferr & sustentari animadvertemus. *Machina perpetuo cœlestis ab ordine pendet.* Elementa ordine suo disposita sentimus, & videmus. Ignis superiorem locum tenet: aëri aqua, huic terra subjacet. Nox ordine diem sequitur. Veri æstas: huic Autumnus succedit: Hyems hunc mox excipit. Corpus humanum justo ordine, aptè partium inter se cohærentium constat. Qui quidem nec esse, nec conservari potest: nisi à superiore quodam instituatur, & sustentetur. In rebus naturalibus DEUM, Mundi & rerum in eo contentarũ Creatorem, & Ordinis autorem veneramur: Sicut & in Regnis & Regibus constituendis, gubernandis & disponendis, primum motorem eundem agnoscimus. In humanis rebus, quæ vel nostrâ industriâ parantur: vel naturali necessitate cogente suscipiuntur ac instituuntur; Hominem non immeritò Ordinis authorem asserimus: in ijs maximè, quæ ad communem Reipub: utilitatem; vel privatorum commoda spectant. Utq; hæc justè parentur, ac ordine digerantur: hic verô ut rectè procedat, eius Principem aliquem esse, necessitas requirit. Per se enim Ordo nil est, nisi ab alio juvetur. Providentiæ nihilominùs divinæ suum ubiq; locum non immeritò relinquimus & tribuimus. Si regnorum conditionem penitiùs intueri velimus, ea, vi Naturę constare, fateamur oportet. Rerum autem Natura UNI paret, DEO scilicet omnipotenti, omniscio; ac Sapientissimo, superioris & inferioris orbis Rectori. Sic partes Naturæ alias alijs præstantiores videmus. Cœlum elementis imperat: hæc rebus ex ijs concretis: inter has nobiliores ignobilioribus. Si animalia spectemus, naturaliter ea ad societatẽ ferri animadvertemus; quæ conjuncta suũ Ducem & unũ habent, ut Grues, Apes, & alia. MENS supremum omnium virium gradum tenet. Animus est Dux & Princeps corporis, imperium habens in subjectas partes. Sic brachia manibus, crura pedibus præsunt: aliæ partes alijs; quæ ordine certo inter se connexæ, pulcherrimam harmoniam in exequendis officiis, efficiunt. Quid

Syrac. I. Vnus est Deus altissimus, creator omniũ, omnipotẽs, rex magn⁹, dominator Deus.

multis? *Ordo vigor rerum, rerum pulcherrimus ordo*
*Conservat, mundi machina quicquid habet.*

Ordo rerum habet se ad modum lucis.

Proindeq; DEUS OPT. MAX. ut Hominem rebus à se creatis, ut eis dominaretur, præfecit: ita sibi in eum liberum & absolutissimum reservavit Imperium: ut eius, tanquam Creatoris, & primi Motoris divinā Majestatem suspiceremus & laudaremus: sapientiam illius adoraremus: Providentiam in gubernando hoc Universo admiraremur. Atq; ut initiò autor fuit hominis: sic quoq; Ipse inter primos parentes, primam societatem instituit: quæ crescente hominum multitudine, domos, & familias plures complexa fuit. Hinc Vici, hinc Pagi, hinc Opida, hinc Urbes, Respublicæ, deniq; & Regna constituta.* Primaq; Monarchia † post diluvium apud Assyrios Nimbrodo autore, ambitioso & crudeli homine extitisse videtur. Cumq; genus humanum subinde augeretur: atq; ipsa multitudo propter malitiam cordis sui in rixas, lites, cœdes, adulteria, & alia vitia prolaberetur; DEUS judices & Reges instituit, qui secundum leges à se latas, populo jus dicerent: eisq; ex præscripto divinæ justitiæ imperarent. Cæterùm, ne infirmiores à potentioribus: inferiores à superioribus vi opprimerentur: successu temporis, gentes & nationes quæquæ, communi suffragio Unum sibi legerunt, virum Æquitatis & Justitiæ laude excellentem, quem Principem & Caput Reipub: certis legibus & conditionibus constituerunt. Boni cùm fuére, eandem potestatem ad hæredes eorum devolverunt: hinc hæreditaria regna & successio legitima. Ac sanè, cùm nulla Societas sine Præfecto; nulla domus sine patrefamiliâs, nullus populus sine Magistratu, nulla Respublica, nullum deniq; regnum sine Principe vel Rege esse, aut diù consistere possit; neq; hic benè & feliciter populum regere queat: nisi ex justitiâ & jure lites diremerit; subjectosque suæ potestati, amore paterno & benevolentiâ amplectatur: neq; Respublicæ tutæ, salvæque diù esse possint; si æquè Imperata, & Mandata promptè & sincerè subditi executi non fuerint: spontaneoq; Obsequio Amorem Principis sibi non promeruerint. Ideò IMPERIUM & OBSEQUIUM, tanquam summè Necessaria duo in Republicâ fundamenta totius hujus operis, sub Diadematis regij, & Apiculæ involucro præmisi: ut de reliquis facilius esset, judicium. Diadema enim Imperij symbolum est; ut & Apis Obedientiæ seu

* Iustin. lib. 1. Ioan. Thom. Freigius in Synopsi hist. † anno mundi 131. Gen. 10. vers. 8. 9. Facit huc Deut. 38. Dan. 4.

Polyb. 6. Eorũ qui ex strenuis & beneficis regibus nati sunt, beneficia continuata, effecerunt regna in eâ familiâ hereditaria. Iosuæ. 2. 1. Sam. 11. 2. Sam 11. 1. Reg 2. 1. Reg. 15. 2. Reg 10. Vide Bodin. lib. 4. n. 461.

Obſequij: ſive populi Regi ſuo obſequentiſſimi nota eſt. quòd
Ioh. Pierius lib. 26. Hieroglyph. ſola ex animalibus Regem habeat, quem univerſum apum conſectatur agmen, æquè atq; homines Regi obtemperantes. Cumq;
* Dan. 4. v. 14. Iob. 12. v. 18. 41. v. 25. Pſal. 8. * *DEUS cui vult, regna det, atq; etiam auferat; ſoliusq; Reges inſtituat, gloriâ & honore coronet.* Vult Obedientiam & Honorem eis
* Tacit. lib. 3. hiſt. à ſubditis præſtari. Rom. 13. 1. Pet. 2. 1. Tim. 2. Tit. 3. Tacit. * lib. 3. hiſt. *Obſequium in Principem, & æmulandi amor validior, quàm pœna ex legibus & metu. quoniam fidelitate & favore ſuorum fortius aut tu-*
* Plin. in Panæg. c. 8. *tius nihil habet.* * *Neq; diligi Princeps, niſi ipſe diligat, poteſt.* Cumq; Amor & Obſequium privatos quosvis jungat: quis hæc duo tâm Principi, quàm Populo admodùm neceſſaria, ad felicem
* Id eod. utriusque ſtatum formandum negaverit? * *Bonus Princeps* (ut eum populus revereatur) *omnes muneris ſui partes armet, & diligenter obeat: nullas verò aſpernetur. Nam qui ſuum munus dedignatur, contemptibilem ſe præſtat: & idolum, non Princeps cenſe-*
* Ep. 90. *tur.* Huc pertiuet illud Senecæ: * *Naturæ eſt, potioribus deteriora ſubmittere. Mutis quidem gregibus, aut maxima corpora præſunt, aut vehementiſſima. Non præcedit armenta degener taurus; ſed qui magnitudine ac toris cœteros mares vincit. Elephantorum gregem excelſiſſimus ducit. Inter homines pro ſummo eſt optimus. Animo itaq; rector elegebatur. Ideoq; ſumma felicitas erat gentium, in quibus non poterat potentior eſſe, niſi melior.* Et pòſt. *Officium erat imperare, non regnum. Nemo, quantum poſſet,*
* Id. 1. de clement. 1. *adverſus eos experiebatur, per quos cœperat poſſe.* * Idem. *Unum eſt inexpugnabile munimentum, amor civium.* Cic. 2. Philip. *Caritate & benevolentiâ civium ſeptum eſſe oportet, non armis.* Inſcriptio porrò ſtatum & felicitatem Reipub: demonſtrat. quoniam

*Obſequio populi; & Regum Reſpublica juſſis,*
*Ritè ac prudenter cùm ſit utrumq;, viget.*

Jul. Cæſar apud Dion. lib. 41. *Natura duas neceſſarias res, eaſdemq; ſalutares humano generi comparavit: ut alij cum Imperio eſſent: alij ei ſubijcerentur: nihilq; eſſe dixit, quod citra hæc, ne minimo quidem*
* In Politicis. *queat ſpatio perdurare.* * Plutarchus. *Theopompus Lacedæmoniorum Rex, affirmanti cuidam, propterea Spartam ſalvam & incolumem eſſe, quòd Regibus uteretur imperandi gnaris: Immò inquit, & civibus, & populo Regibus obſequente. Quanquam revera ex altero alterum fit, atq; utrumq; immutatim ſe continet.*

# AD EANDEM Sam. Cam. Mtem.

## EMBLEMA. II.

### FATUM VOTA BEET.



*EN Regni summo circumdata Laurus honore,*
*Surrigit excelsas fronde virente comas!*
*Huic decus Imperij, sacrata Corona recumbit;*
*Legibus & dextrâ hanc contribuente* DEI.
*R*EX *radias nuper duplici diademate cinctus;*
*Ungara quod tellus, quodq; Bohema dedit.*
*Si quid vota valent, & habet sua pondera Fatum;*
*Debetur meritis,* Imperiale, *tuis.*

SAcris literis & profanis docemur, DEUM OPT. MAX. signis quibusdam certis, voluntatem suam in Regibus & Ducibus populo suo eligendis, & constituendis declarasse; quemadmodum in Mose, Josuâ, Davide, Samuele, Salomone, alijsq; pijs & probis Regibus apparet: ut certò constaret, Imperia à solo DEO constitui: Regesq; bonos ac Sapientes; sæpè etiam ob peccata populi, malos regnis præfici atq; dati: quò gentes ac populi eum solũ Regem regum, & supremum Dominum agnoscant; qui regna, cui vult, tribuat: & cùm vult eisdem eadem auferat: cordaq; eorum, quò vult, impellat. Tùm, ut suam immensam Sapientiam veneremur, & Providentiam celebremus; qui non tantùm Regna & Imperia, (quæ propter Ecclesiæ suæ pacem colendam: & humanæ societatis, legibus honestis, justitiâ & disciplinâ morum, conservationem instituuntur) solus firmet: pro suâ liberrimâ voluntate firmata frangat, fracta solidè erigat, erecta deijciat, dejecta suâ potente manu elevet, sustentet, defendat, & contrà vim quamcunq; fortiter tueatur: Sed & Principes & Magistratus prudentes excitet, summâ sapientiâ ornet; motusq; peculiares, & supra aliorum hominum conditionem singularia dona tribuat: ut Populos & Rempublicam piè, justè, prudenter, fortiter gubernent: DEI gloriam promtè promoveant, ac constanter; utilitatem & commoda Reipublicæ citra sua, quærant & augeant: nihil deniq; cogitent, agant, faciant & moliantur, quod ad publicam felicitatem spectare non videatur. Cujus certè Providentiæ divinæ exemplum manifestissimum Respublica Christiana agnoscit; dum ex Augustissimâ & florentissimâ domo Austriacâ Imperatores Romanos XI suscitavit. Hispania Regem nunc potentissimum IIII. Bohemia VII. Ungaria VI. ex eadem stirpe colit. Quæ stirps, inquam, fœcundæ arboris instar, nunc in tantum excrevit: ramosq;, & ex his surculos latè se diffundentes tantos produxit; ut totius Europæ regna & Principatus inumbrent. Ac vix Imperatorum, Regum & Principum Christianorum ullam recenseas familiam, quæ domui Austriacæ vel consangvinitate: vel affinitate, aliâque cognationis & agnationis necessitudine & vinculo non sit juncta! Quid de Potentiâ ejusdem; de Amplitudine regnorum, alijsq, externis Majestatis adjunctis dicam? quid de fœderatis populis cum illâ? quid de insignibus

Num. 27. v. 16. Provideat Domin' Deus spirituũ, hominẽ, qui sit super multitudinẽ hanc. Oseæ. 8. Ipsi constituunt reges absque me, & Principes assumunt, & cognovi. Vide Syr. c. 17. & Apost. Rom. 13.

insignibus ex variorum bellorum conflictu victorijs, quas Austriaci reportarunt? quid de antiquitate stirpis eorum commemorem? PHARAMUNDUM certè (ut scriptores notarunt) Anno Christi 420. Regem Galliæ creatum scimus, unde illis origo: à quo tempore annus præsens 1617. nunc currit 1197. & ut alij calculo probant, Domum Austriacam jam ultra an. 1300. durasse. quod singularis divinæ benignitatis maximum argumentum apparet: cùm plurimæ familiæ, non secus ac fructus maturi de arbore in terram spontè cadentes, in ipso flore conciderint; quarum vestigia, vix etiam nomina nunc supersint, aut audiantur. Sic vir quidam doctus notavit, intra 130. annos, Principum & Nobilium familias 57. absq; prole & hærede interijsse. Et meâ, licet juvenili ætate memini, aliquot celebres familias viam lethi inijsse. Nec est, quod miremur ita fieri! Tùm, quòd * *ea rebus humanis est indita facies: ut in omnibus sit continua tùm generatio, tùm corruptio.* Ita * *Respublicæ & Familiæ, quarum ut initium, ita finis est, crescunt, augentur, mutantur, decrescunt, intereunt: sive id fato; sive naturæ quadam institutione fiat, quæ omnia à se producta, invertit, & certis temporum intervallis disperdit.* Et ut Seneca ait: *Indicium est imminentis exitij maturitas, & appetit finis, ubi incrementa consumta sunt.* Ordo sanè in Imperijs, ut & in rerum naturâ, sine dubio est opus DEI. Et à DEO sunt, tùm boni ac præstantes, humanoq; generi utiles Principes: tum felix ac salutaris gubernatio. Hinc *Reges Jove editi, & Jovis alumni* à Poëtâ nuncupantur: quod ab eo (sed DEO vero) Imperium habeant. Imò *eos instar DEI esse* Tacit. * ait: *& quicquid dominatur vim habere DEI*: qui eos Palmæ vel Lauri instar florere: ac justo tempore surculos ac fructus producere facit: ut eorum commodis, ac suavi dulcique sapore Justitiæ, Clementiæ aliarumq; virtutum, Respublicæ & populi juventur. Quarum ex rerum consideratione Emblema præsens, cùm V. Cæsa Mtas in Regem * Ungariæ, & paulò post * consentientibus Ordinibus regni, in Bohemiæ Regem Pragæ inuncta fuit, effinxi: Coronas sc: duas, arborem cingentes. Tertiam verò manus protensa de cœlo, arbori imponere videtur. Arbor autem (domum Austriacam intelligo) Laurus est; signum sive Triumphi & Victoriæ; sive Vaticinij, ex quadrato lapide vel cubo exurgens: qui

Vide Emblema 37.

* Aristot. lib. 12. de Generat. & corrupt. c. 10.

* Ioh. à Chok. thesaur. polit. aphor. lib. 6. c. 1.

* 3. Annal.


* Ann. 1608. Posonii 19. Novem:

* Anno 1618. 23. Maii.

qui ſtabilitatem & firmitatem notat: ut ſcilicet ſolidis Virtutibus, quibus V.ª Cæſ^{ea} M^{ſtas}, & tota domus Auſtriaca, celebris eſt, (nempe in DEUM Pietate, Sapientiâ, Prudentiâ, Fortitudine, Juſtitiâ, Clementiâ maximè, Manſuetudine, Benignitate, Liberalitate & Humanitate) talis Honor & Imperatoria Majeſtas meritò debeatur: ut certè deberi ac conferri Reſpub: Chriſtana pijs votis exoptavit. Quæ cùm jam Fatum, id eſt, Providentia divina fauſto & læto eventu beaverit: eſt ſanè de quo gratias agamus, illumque celebremus; qui talem arborem nobis ſuffecerit languidis; cujus ſub Umbrâ divinus cultus exerceri, virtutes propagari, publica & privata bona augeri, Pax ſancta coli, Charitas & Amor populorum conſervari tutò poſſit! DEUM porrò rogamus, (quo volente, jubente, conferente, Imperium V^{æ} Cæſ^{eæ} M^{ti} unanimi S. R.I. Electorum conſenſu collatum eſt,) ut eandem ſuo ſcuto ſalutis & præſidio, adverſus hoſtes quosvis juvet, tegat, defendat. Nam

* Pſal. 91. Paraphr. Ioh. Mai.

** Qui ſub præſidio latet alti regis Olympi,*
*Seq; ſub inductâ tenet umbra, & tegmine fido*
*Numinis, invictâ quod ſuſtinet omnia dextrâ:*
*Ille animum haud ullis dejectus caſibus, infit*
*Ante* DEUM: *Mea ſpes, mea propugnacula, & unum*
*Numen: in hoc firmo, mea ſpes ſe firma tenebit. &c.*



EMBLEMA III.

# AD EANDEM Sam. Cam. Mtem.

## EMBLEMA III.

CONSILIO SORS TUTA DEI.



*HOc erat in fatis* CÆSAR *nunc* MAXIME, *tandem*
*Imperij caperes munera summa sacri!*
MATTHIA DONATE DEO, *feliciter Orbem*
*Pace regas; Urbem mitis amore fove!*
*Ut vireat, vigeat tutò, Te Vindice, pura*
*Relligio, Pietas, Pax, Amor, alma Fides.*
*Et Patri, Fratri, Patruis, Proavis, Atavisq;*
*Par sis:* AUGUSTIS *adnumerère* PIIS.

POst diuturnum illud, & grave, totiq; Imperio Romano exitiale Interregnum, quod annos XVII duravit: Imperij Rom. poteſtas & Gubernatio, ad RUDOLPHUM COMITEM HABSPURGENSEM, quando ingenti cum exercitu in caſtris ad Baſileam eſſet, non ſine ſingulari Providentiâ & Conſilio DEI, nec non omnium Electorum concordi ſuffragio devoluta fuit. Idque ob ſingularem ejus animi magnitudinem & præſtantiam, bellicamq; Fortitudinem, quam toties in Syriâ, alijsq; bellis ſummâ cum laude & honore confectis, probavit, adeò; ut ex hoſtibus ſuis XIV victorias reportárit: atq; inde Victorioſus appellatus fuerit. Id quoq; fato cuidam adſignandum non immeritò quis dixerit; quòd idem XIV liberos procreavit, ex ijsque VII maſculos, & VII fœmellas; qui numerus ſeptenarius aliàs ſacer & myſticus vocatur, propter multiplicem potentiam, quam in rebus tùm ſacris, tùm profanis & naturalibus habet. Appellatur enim Septenarius iſte numerus, ut obiter hîc dicam, Vehiculum vitæ humanæ: à Pythagoricis, Virginitatis numerus dicitur. In ſacris vocatur numerus juramenti. Item beatitudinis & requiei. Item, Pœnitentiæ ac remiſſionis: dicitur & Libertatis numerus. Nuncupatur inſuper ultionis numerus: ut planè affirmárim, peculiari divinâ voluntate, S. Rom. Imperij Majeſtatem, ad Domum Auſtriacam pertinere oportuiſſe: ex quâ tot Inſignes Bellatores, ac magnanimi Heroës Reipub: Chriſtianæ bono prodire debuerant. Ut Majores V^æ Cæſ^æ M^tis hîc non commemorem, quorum laudibus impar tenuis ſtylus meus eſt. CAROLUM V. Imp. Romanum tantùm adducam, in cujus nativitatem & felicitatem Cœleſtia numina & ſidera conjuraſſe & conſpiraſſe certum eſt: ut eodem tenore, ad extremum ferè vitæ exitum Divinæ gratiæ & benignitatis argumenta & documenta; nec non fortunæ ſecundæ blandimenta ſit ſatis expertus: à quo hoc novo ſeculo V^a Cæſ^a M^tas, quintum in Imperatoriæ Majeſtatis ſolio locum, continuâ electionis ſucceſſione tenet. Natus is eſt Anno 1500. & quidem Jubilæo, die 24. Februarij, Gandavi Flandriæ Metropoli, anno poſt CAROLUM MAGNUM (qui religionem Chriſtianam in Germaniæ oras primus invexit) Imperatorem renunciatum, Septingenteſimo; quod & ſingulare noto, propter nume-

Anno 1273. 12. Octob.

Vide Vehiculum humanæ vitæ Pithagoricum, Henrici Cnauſtini I. V. D.

rum Septenarium. Eodem anno & Solymannus Turcarum Imperator, ut quidam notárunt, eſt natus. Quemadmodum autem utriq; idem annus Nativitatis: ita idem menſis September occaſus fuit. Uterq; etiam à magnis Victorijs Imperium ſuum auſpicatus. Solymannus enim Taurino primùm, mox & Rhodo expugnatis: demum LUDOVICO HUNGARIÆ REGE ad Mohaczum interfecto, Imperium Mahumetanum auxit. CAROLUS V. Franciſco rege Galliarum, die ſuâ natali victo* & capto, inſignem laudem reportavit. Quid dicam? quòd alijs victorijs inſignibus, de hoſtibus obtentis; *Pontifex MAX. & Gallus, & Bononiæ poſtea Franciſcus Sfortia, & Veneti pacem ab eo ſupplices petierunt? Compoſitis Italiæ rebus, in Germaniâ motus compeſcuit. Hinc Viennam, ut Turcas ingentibus copijs in Germaniam irruentes arceret, rectà deſcendit; cujus adventu *Solymannus* territus, *Virtuti & felicitati ejus cedere, ac in Thraciam regredi maluit, quàm ſpe dubiâ victoriam tentare*, quod ipſe dixit. Hinc in Africam profectus, ad Tunetum acerrimo prælio Turcis profligatis, multa millia Chriſtianorum liberavit. Tanta rerum benè geſtarum felicitas, omen illud dubio procul, ſecuta eſt; quod ISABELLA, Ferdinandi Regis Hiſpaniarum conjunx, ejus Avia, conceperat; cùm ipſi nunciatum eſſet, eum die S. MATTHIÆ ſacro natum; Sortẽ ſuper Matthiam cecidiſſe, ſtatim protulit. nec eam fefellit. Diem enim iſtum ipſi per omnẽ vitam fauſtũ & felicem fuiſſe obſervatum eſt. Nam & hoc die Aquisgrani Imperiale Diadema accepit: & de Franciſco I. Rege Galliarum, ut dixi, victoriam obtinuit. Si porrò ea tempora conſideraverimus, quæ eum exceperunt: quàm turbulenta, & bellicis tumultibus plena fuerint: quæ porrò temporum felicitas ſecuta ſit; mirari ſatis non poterimus, quæ, & quanta ſit divina Clementia ac Providentia: nec non in rebus humanis; atq; adeò Imperijs firmandis, mutandis, convertendis & evertendis ac erigendis liberrima voluntas: ſed omnia ſingillatim recenſere, ac demonſtrare prolixum foret. Qui mentem & oculos ad omnia tempora direxerit; facilè animadvertet; *Seculum quodlibet novi quicquam in Imperiis & rebus producere*, Sive; *Centenarios annos, aut eis proximos, tàm præcedentes, quàm ſubſequentes mutationibus maximè obnoxios eſſe.*

* Anno 1525. Kal. Feb.

* Clem. VII.

Notavit in hãc rem quædem Ioh. à Cholcjer theſ. polit. aphor. lib. 6. c. 1, quẽ vide.

 Sub

Anno 1593. Sub finem fermè præteriti Centenarij, Bellum Ungaricum satis acre & diuturnum inter Rom. Imperatorem RUDOLPHUM II. fratrem & antecessorem Væ Cæsæ Mtatis, a. m. & Turcam inchoa-

Anno 1606. Pacificatio Pannonica cum Turca facta.

tum fuit; duravitque ad annum usque hujus novi seculi sextum. Motus sanè magni & terribiles in Imperio Romano gliscentes, in flammam & ruinam Germaniæ, & vicinorum quorundam regnorum damnum evasuri nuper credebantur: sed DEI Providentiâ, ac Procerum vigilantiâ, Prudentiâ, sedulitate & Fidelitate adeò remoti videntur; ut sub Imperio Væ Cæsæ Mtis Pax diuturna, & omnia tuta ac salva certò sperentur. Maximæ præterea divinæ benignitatis argumentum est erga Rom. Imperium, quòd in turbis & intestinis Procerum quibusdam dissensionibus, Respublica Christiana, non secus atq; in mari agitata navis, Væ Cæsa Mate tanquam Anchorâ firmâ, salva mansit: navisq; ad portum aureæ & desideratissimæ pacis sit deducta: tempestatesq; omnes tranquillitatem publicam turbantes sint sopitæ. Quam sanè Anchoram nisi DEus ipse jecisset, suâq; omnipotenti dextrâ & sapientiâ sustinuisset: dubio procul Navis, hoc est, Respub: Christiana naufragium aut damnum insigne passa fuisset. Verumenimverò, cùm IMPERIA sint DEI OPERA: divinitùsq;, sapientes, magnanimi, concordes, & felices Principes excitentur; Consilio & auxilio divino instruantur & adjuventur: Nemo est eorum, quos mediocris cura rerum publicarum & commodorum tangit, ut certè omnes tangere debet: qui Vam Cæsam Mtem Reip: Christianæ Caput summum, Anchoram in tempestatibus sacram, Præsidium Bonorum gratus non agnoscat. Divinâq; providentiâ & Sorte, Universo Orbi Christiano esse datam, meritò fateatur: utque porrò ille, cujus nutu Respublicæ, Reges & Imperia, & tota rerum Universitas gubernatur, Vam Cæsam Mtem suâ gratiâ regat, defendat, sustentet, Consilia Reip: salutaria suggerat; & eandem felicitatem, quam ex omine Nominis ac diei concipio, divinitùs largiatur, eâ, quâ debeo animi erga DEUM, & Vam Cæsam Mtem devotione precor.

# TYPUS SERENISSIMÆ ET AUGUST. DOMUS AUSTRIACÆ.

## EMBLEMA IIII.

### ULTERIUS NE QUÆRE VIAS.



*Fixa velut rupes mediis in fluctibus, alto*
*Culmine longinquùm conspicienda venit.*
*Sic domus Austriadûm* PHARAMUNDI *stirpe refecta,*
*Romulidûm superat laude & honore genus.*
*India & Europa, Afer, Sardus & Insuber, Hunnus,*
*Est quod in Eöis Occiduisq; plagis.*
*Illius Imperio jam pridem paruit, ultrà*
*En vix quò factis progrediatur, habet!*
*Salve Augustorum genitrix, quæ vertice Olympum*
*Tangis, & Imperij luce coruscanites!*
*Salve perpetuùm, tua luxq; decusq; micabit,*
*Rupes donec erit: Sol quoq; donec erit.*

QUod Vaticinium olim de Româ totius mundi Dominâ, ipso eventu verum & felix tale fuisse legitur:

ROMA TUUM NOMEN TERRIS FATALE REGENDIS:
Idé & de domo Augustissimâ Austriacâ affirmari potest. Romanæ enim Reipublicæ, ejusq; Majestatis augmentũ & fastigium quale esse debebat, Anchisen filio suo Æneæ prædixisse Virg: scribit.

Virgil. lib. 6. Æneid.

*En hujus* (Romuli) *nate auspiciis, illa inclyta Roma*
*Imperium terris, animos æquabit Olympo:*
*Septemq; una sibi muro circumdabit arces,*
*Felix prole virûm.* & paulò post:
*Excudent alij spirantia molliùs æra* &c:
" *Tu regere Imperio populos Romane memento,*
*Hæ tibi erunt artes, paciq; imponere morem,*
*Parcere subjectis, & debellare superbos.*

Quod si & ominibus aliqua fides tribuenda est, ut tamen tribuendam, (dummodò superstitio abfuerit,) dixerim: jampridem certè eventus omen & votum illud comprobavit, quod FRIDERICUS II. AUSTRIACUS (quem insignem Mathematicum fuisse scriptores tradunt) fecit: illudq; Viennæ, cùm ad mensam sederet, in pariete manu propriâ, in hæc verba consignavit. AUSTRIA ERIT COR ET CLYPEUS IMPERII. quo innuere voluit: ex stirpe Austriacâ tales Principes nascituros, qui Prudentiâ suâ & Consilio; (quod ego per Cor interpretor, cùm inde proficiscatur,) nec non Fortitudine, Imperium Romanum tutarentur, juvarent & augerent: ut non minùs verè, de hac florentissimâ & celeberrimâ domo, canam, quàm Anchises olim de Româ.

Autor in descriptione Geneal. Austr.

Rudolph. Comes de Habspurg.

*Auspiciis* RUDOLPHE *tuis, stirps inclyta gentis*
*Austriacæ, Imperium vastum diffundet in orbem.*
*Excedet terras factis, æquabit Olympum*
*Perpes honore suo condens sub nubila nomen.*
*Una sibi sedem medio telluris in orbe*
*Augustam diâ cum Majestate locabit,*
*Cæsaribus multis felix, invictaq; bello*
*Hoste triumphato, sacra ad delubra Deorum,*
*Victrix insignis, spoliisq; superba feretur;*

*Ulta*

*Ulta DEI nomen temeratum à gente profanâ.*
*Hæc est ipsa, dari sibi quam summo æthere gaudet*
*Gens pia Christiadûm; PHARAMUNDI è stirpe profectam!*
*Aurea quæ pacis, quæ Libertatis avitæ*
*Romano Imperio, & Germanis secula condet!*
*Quæ Mauros ultrâ, super & Garamantas & Indos,*
*Pannonas & Siculos: & quà Tagus, aurifer amnis,*
*Divesq; exonerat rutilas Pactolus arenas,*
*Proferet Imperium: legemq; imponere sacram*
*Gentibus ac populo crudâ feritate rigenti* Americani.
*Debebit: mitemq; piis moderetur habenis!*
*Induperatores, Reges, clarosq; Heröas*
*Quæ longâ serie, generoso è sanguine cretos,*
*Et belli & pacis numerabit honore celebres:*
*Quorum sub pedibus, quà Lux Phœbea recurrens*
*Aspicit Oceanum magnum, vertiq; regiq;*
*Effusi populi longè lateq; videbunt. &c:*

Si itaque incrementa, quibus ad tantum fastigium & culmen Honoris domus Austriaca evecta fuit, recensere: si merita ejusdem in Rempub: Christianam commemorare: si denique singulorum Principum, Regum, & Imperatorum, qui ex stirpe hac Austriacâ prodierunt, egregiè facta & Virtutes Heroicas enumerare deberem: Vaticiniumque illud, per partes suas, ad hoc usque tempus impletum esse, ostenderem, citiùs me sanè dies, quàm res deficeret. Extra omnem autem controversiam statuendum; nullam Principum familiam, (quod pace ipsorum dictum velim,) umquam tot Regibus, tot Imperatoribus celebrem fuisse, ac Austriacorum. FRIDERICUS III. Symboli loco has quinq; literas quoq; usurpasse scribitur: A.E.I. O.U. quas alij sic explicârunt. AUSTRIA EXTENDETUR IN ORBEM UNIVERSUM. Alij verò sic: AQUILA ELECTA JUSTE OMNIA VINCIT: Quocunq; sensu quis intellexit: eventu tamen felici res est comprobata. Sic & Elector Archiepiscopus Moguntinus in Electione ALBERTI II. votum simile ac Vaticinium super jam electo Imperatore pronunciasse scribitur; DEUS domum Austriacam propagatione & gratiâ suâ conservabit,

Reusner. in Symbolo Friderici III. Austriaci.

conservabit, usque ad finem mundi, ut Palmam, quæ nunquam arescit, quò sub ejus umbrâ Orbis Christianus pacatus esse possit: postea id quasi confirmans Archiepiscopus Trevirensis Elector, votum quoque suum adjecit in hæc verba: Domus Austriaca in universum Orbem extendetur. Cujus rei conditione Emblema hoc effinxi: Typumque Augustissimæ Domus Austriacæ esse volui: ac universis & singulis ex florentissimâ hac stirpe natis Ducibus, Archiducibus, Regibus & Imperatori humillimè dicatum & consecratum ac gratum cupio. Rupis enim solidæ instar est in vasto hoc mundi Oceano, caput inter nubila condens; quæ tàm famâ rerum præclarè gestarum, quàm Virtutibus Heroicis Solis instar universum orbem illustrat: cujus quoque radij undequaque sparsi, singulos ex hac domo genitos Principes, clariores reddunt. Utque porrò DEUS OPT. MAX. ad finem usque mundi propagatione & consecratione eos augeat, seriò voveo!




AD

# AD ILLUSTRISSIMUM ET POTENTISS. PRINCIPEM ET DOMINUM, DN. FRIDERICUM V. Comitem Palatinum ad Rhenum, S.R. Imp. Archidapiferum, & Electorem, Ducem Bavariæ, &c.

## EMBLEMA V.

NON CEDAM GRAVIBUS.



*UT magis imposito firmatur pondere, quando*
*Erigitur latâ Celsa Columna basi.*
*Sic altas mentes generoso in corpore fixas,*
*Non oneri Imperij cedere velle decet:*
*Quin magis obniti summo conamine, ne fors*
*Hac nutante, simul machina tota ruat.*
*TE incolumem Imperij columen* PRINCEPS *Jova servet;*
*Stes longum ut populis firma* COLUMNA *tuis.*

GRave onus humeris suis impositum sustinet Princeps, cui à DEO OPT. MAX. populorum salus commissa, & in eos Imperium divinitùs est collatum: sive id successione hereditariâ, sive Electione ad eum devolvatur. Nam, præter quod DEI vice in terris fungitur, qui justissimus est bonorum retributor: malorum autem vindex severus: Quanta ei opus est prudentiâ, ut Bonis præmia, malis autem pœnas, pro facti crimine imponat? Cùm * *vitæ necisq; gentium arbiter sit*: quo judicio necesse est valeat? ne in condonandis peccatis largior; in servando integritatis vitæ bono remissior censeatur. Cùm, *qualem quisq; sortem statumq; habeat, in manu suâ positum sit*; quæ solertia requiritur? ut felicem civibus suis conservet: aut pro personæ dignitate, factive ratione eundem mutet; vel in melius provehat. Cùm res regni, & privatorum bona suæ potestati sint subjecta, eaque Imperio possideat, quæ diligentia & fortitudo desideratur? ut salva cuique præstet ac conservet: ne vel avaritiæ in extorquendis ijs, vel socordiæ in defendendis arguatur. Cùm *ex suo responso lætitiæ*, addo & doloris *causas, popul, urbesq; concipiant*: quâ eum curâ affici oportet: ne, omnes unius voce turbati, animum abjiciant? utque abjectum læti & alacres recolligant? Cùm *nulla pars usquam nisi volente propitioq; ipso floreat*: quam industriam ille non ponat in felici populi statu conservando? ne osor publici boni & commodorum, aut vastator felicitatis publicæ accusetur. Cùm tandem ejus sit Jurisdictionis, *quæ urbes oriri, quæ ruere debeant? Ex eiusq; nutu tot millia gladiorum stringantur*, urbes & pagi diripiantur, homines occidantur; quâ Mansvetudine & Clementiâ eum præditum esse oportet? ne ostentandæ per terrores potentiæ causâ Crudelis, aut Tyrannus perhibeatur. Ac, ut breviùs dicam: Cùm Princeps sit quasi DEUS terrestris, ad quem omnium oculi & vota diriguntur, à quo salus universorum dependet: qui (ut * I. Lips. ait) *unus pluribus praeest, qui leges & jussa ponit, maria, terras, pacem, bella moderatur*: quanta moles, plus quàm Ætnéa, negociorum, humeris ejus recumbat, quis non videt? quæ Integritas præstanda? quæ

* Sen. 1. de Clem. 1.

* In Proloq. ad Politica.

quæ diligens cautio adhibenda? ut apud DEUM exacti & præstiti officij, rationem deponere: ac se in conscientiâ suâ tutum & securum reddere queat? Atque ut in administrandâ Rei summâ difficile est omnibus placere; Ita divini muneris & benignitatis certissimum argumentum, difficultates sufferre æquo animo posse. Princepsque ille jure laudandus est; qui curam Imperij propter onus, non abijciens, constanter officij sui partes exequitur: qui quoque in tanto rerum fastigio, & vitæ licentiâ collocatus, infinitæ suæ potentiæ & cupiditati fines præscribit: duasque has res (cum * Lipsio loquar) diversissimas, Potentiam & Modestiam miscet: ut hac ratione si non omnibus placere; saltem optimis non displicere videatur. Tot autem ac tantis in Repub: rebus, causis & negotijs ritè exequendis, disponendis, finiendisquis sufficiat? nisi divino auxilio adjutus, Animum Virtute illâ in perferendis laboribus non succumbente, instructum habeat, CONSTANTIA scilicet. quoniam

* Vide quæ scribit. lib 2. Polit. c. 15. & in notis.

*Nulla deest Virtus ubi tu* CONSTANTIA *præsens.*

Hæc ubi domicilium suum in mente Principum ac Heroum fixum habuerit; gravissimi quique labores, curarum onus, & molestiæ, levissima reputabuntur. Ac quemadmodum maximis ædificijs Columnas & fulcra adhiberi, & substrui videmus: ne propter molis magnitudinem, & onera quæ sustinent, gravitate & pondere corruant. Et veluti * *Columna, quæ recta stat, pondere imposito magis firmatur*: Sic â Principibus Consiliarij fideles, & periti viri adhibentur, in Imperij negotijs gravissimis & difficillimis, qui partem aliquam curarum, & tantæ molis in se recipiant: vastumque hoc atque amplum ædificium, (ut Imperium * Carol. IV in aureâ bullâ, Electores verò Principes, ipsius Imperij Columnas & latera vocat,) consilio suo sustentare juvent, fulciant, atque à ruinâ conservent: Sic altas quoque illas mentes Principum, & ad sublimia erectas, oneri Imperij, suis quasi humeris recumbenti non cedere, sed obniti: non succumbere, sed fortiter & constanter in Reipub: perferendis molestijs, sese erigere decet. Nam, ut non sine certâ causâ columnæ & pedamenta ædificijs

* Lips. in præfat. in lib. de Cruce.

* c. ult.

ficijs vel rebus alijs adstruuntur: ita in Imperij negotijs molestissimis & gravissimis, Consiliariorum fide opus est ac labore. Sic enim comparatum videmus, ut iterum verbis *Karoli IV loquar. *Ubi majus incumbit periculum, majus debet remedium adhiberi. Neve columnis ruentibus, basis totius ædificij collidatur.* Quapropter Emblemate hoc CONSTANTIAM exprimere volui, cum inscriptione, NON CEDAM GRAVIBUS. Congruit *Senecæ. *Valentior omni fortuna animus est.*

Et *alibi. *Quod rectum est, nec magnitudine æstimatur, nec numero, nec tempore. &c.*

* Aurea bulla. ibid.

* Epist. 99.

* Id, Epist. 75.




AD

# AD ILLUSTRISSIMUM ET POTENTISS. PRINCIPEM AC DOMINUM, DN. JOAN. SIGISMUNDUM, Marchionem Brandenburgensem, S. Rom. Imp. Archicamerarium & Electorem, &c.

## EMBLEMA VI.

### SUO ÆRE CENSETUR.




*PAnnum quo vestitur Honos & Gloria Regum,*
*Metiri Ratio, non brevis ulna potest.*
*Splendidus est gemmis; precioso fulgidus auro:*
*Ast intexta gravi Cura labore scatet.*
*Antigonus docuit, quibus esset nempe periclis*
*Plenus: tollere vix quem quoq; vellet humo.*
*ÆRE SUO Imperiale decus CENSETUR, & illud*
*Dignis jure poli venditur, ac emitur.*

ROmani olim ut in suâ Republ: distinctos ordines populi instituerunt; sic & dignitatis cujusq; maximam rationem habuerunt: præsertim verò Magistratus: aut qui aliquo publico officio fungerentur: adeò, ut & peculiari vestitu juvenes â senioribus, patricios à plebeijs, Magistratum à subditis discernerent. Quod quidem institutum multæ adhuc urbes Germaniæ observare solent, ne promiscuè honor eorum, qui ordinibus & dignatione antistant, cum inferioribus participet. Utq; Nobiles à plebeijs, vulgus à Principe externâ aliquâ notâ vel signo dignoscatur. Sic olim apud Romanos, milites sago & chlamyde vestiebantur: tempore pacis togâ. Sic apud Persas tiarâ reges pro Diademate utebantur. *Imperatores Romani Paragaudâ & Palmatâ, quæ toga erat purpurea, auro & margaritis intertexta. Omnibus, & quidem viris prohibitas has fuisse (nisi quibus propter Imperiale ministerium concessæ fuerunt) & soli Principi, ejusq; domui dedicatas, colligitur ex l. 1. 2. & 4. C. *de vestib. holo.* Palmata dicebatur, quòd palmam habebat intextam, eratque Triumphantium. Purpurata vestis ornamentum fuit Regium, & Majestatis insigne: hoc rubicundo colore insinuans sangvinis Imperium, & necis inferendæ potestatem. Sic purpurâ indutum fuisse Salvatorem nostrum per ludibrium, Evangelista scribit. *Diadema erat pileolus, instar dimidiatæ pilæ lusoriæ grandioris: qui capiti impositus candidâ ligabatur fasciâ, (hodiè visuntur in insignibus quibusdam antiquioribus nostratium, ut & pilei, signum libertatis,) eo utebantur Reges & Imperatores ornatûs gratiâ. Cui non absimiles sunt nostrates Coronæ, quas in toreumatibus & numis expressas videmus. Coronæ variæ olim dabantur ex Lauru Impp: triumphantibus, cui successit aurea, quæ nunc Insigne Regum & Imperatorum est. Sic fasces ex Betullâ arbore: & secures Hetruscorum Regum Insignia fuerunt: in quorum locum Sceptrum successit, quo Reges Majestatis causâ utebantur & utuntur. Talia vulgi oculos perstringunt, ut quasi extra sensum positum, Regum & Principum statum felicissimum censeat: ideòque omnes cupiditate quadam imperandi naturâ agimur:

*Pancirol. rer. memorabil. lib. 1. de habitu Impp & Henr Salmuth in expl. h. loci.

*Pancirol. de Diademate.

agimur: ut quisque Rex, nemo subditus esse velit: illamque felicitatem ex purpurâ, auro, sceptro & diademate metiamur, ijsque sæpè invideamus: cùm tamen non aurum, non purpura, non sceptrum, non diadema, & quod vulgus admiratur & externè suspicit, Regnum aut Principem ipsum constituat! aliud quidpiam his præstantius, Regnum desiderat. Id quod Rex ille annuere videbatur, qui nudum hominem, puta Prudentiâ & Fortitudine præditum, regno sufficere affirmavit. Illa quidem Insignia Regum propria sunt: per se autem nihil valent, nisi eas Princeps virtutibus dictis, conservet atque exornet. Rectè * Seneca. *Nemo ex istis, quos purpuratos vides, felix est, non magis, quàm ex illis, quibus sceptrum & chlamydem in scenâ fabulæ assignant.* Paulò post. *Nemo istorum, quos divitiæ honoresq; in altiore fastigio ponunt, magnus est. quare ergò magnus videtur? Cùm basi illum suâ metiris: parvus pumilio, etiamsi in monte constiterit. Colossus magnitudinem suam servabit, etiamsi steterit in puteo &c:* intelligit autem animum esse rem maximam, præsertim in regno administrando. Externa ista, levia sunt & mutabilia, & ut ejusdem verbis loquar: *etiamsi favente fortunâ in unum congesta sunt; dominis suis incumbunt gravia, & illos semper premunt, aliquando & elidunt.* Felicitas sanè, quam vulgus talem esse putat, plus laboris & periculi, quàm quietis & securitatis habet: quod olim Antigonus demonstravit, qui antequam ei Diadema ex more imponeretur; retentum diù considerasse ac dixisse scribitur: *O nobilem pannum magis, quàm felicem! quem si quis penitùs cognoscat, quantis ex laboribus, periculis & curis sis contextus, ac refertus, ne humi quidem jacentem tolleret.* Dionysius quoque Damocli adulatori ostendit, quàm sit semper periculis obnoxia Principum & Magistratus vita, qui, Regiam potentiam, divitias, Majestatem & magnificentiam domus Regiæ laudanti, earum omnium rerum copiam fecit; illeque se beatissimum æstimavit: sed postquam ipsi gladius supra caput filo tenuissimo appensus, ostensus fuisset: totus exhorrescens, Dionysij statum miserrimum ac infelicissimum pronunciavit. Unde Persius Sat. 3.

Regna statera non ponderantur.

* Epist. 76.

*Et magis auratis pendens laquearibus ensis*
*Purpureas subter cervices terruit.*

Non


Non igitur externis insignibus & opulentiâ æstimandi Reges. Dignitas illorum SUO ÆRE CENSETUR: quod nemo, præter qui animum habet Magnum, agnoscit. Emblema igitur hoc, panni preciosi auro intexto specie, Imperialem purpuram seu vestem, imò ipsum regnum designat: qui pannus solâ mente, & divinitùs concessâ benignitate, ac verâ felicitate metiendus, quod non cuivis, nisi quem DEUS ipse, suum Vicarium constituit, contingit. Igitur

*Non Diadema ipsum, gemmæ, non purpura & aurum*
*Constituunt summos in Regione Duces.*
*Sed Majestatem Regum Prudentia firmat;*
*Virtus præstandi fortia facta, parat.*

Neque ipsi Principes in externis istis fortunæ donis beatitudinem summam ponant: fluxa hæc sunt, & ut ille scribit.

* Chr. Eg.

* *Sis licet augusto Regum de sangvine natus,*
*Hæc tibi mortali quæ loquor, accipite.*
*Larga tibi humenti fluitat de fauce saliva?*
*Pituita est nimiùm nempè molesta tibi.*
*Vestemne indueris pulchram? hanc ovis exuit olim.*
*Aurone excellis? Sors tibi id alma dedit.*
*Dives es? hoc fortuna tibi dedit improba, fastu*
*Turges? Stultitiæ est ille tuæ fremitus.*
*Munus id est Divûm, si sit tibi vita modesta,*
*Hæcq; est, si proprio te pede mensus eris.*



AD

# AD ILLUSTRISSIMUM PRINCIPEM AC DOMINUM, DN. JOAN-GEORGIUM MARCH. BRANDEB: Carnoviæ Ducem &c.

## EMBLEMA VII.

HOC SPLENDENTE.



*QUod Sol in Cœlo; quod Cor in corpore: Princeps*
*Hoc & in Imperio Maximus esse solet.*
*Fœcundo illius terrena calore foventur:*
*Corporis hoc rectè membra vigente valent.*
*Et Princeps Orbis mediâ regione locatus,*
*Majestate suâ publica quæq; juvat.*
*Vive Rei populi, SOL, COR, DUX JANE-GEORGI:*
*Commoda Te vireant publica stante diù!*

TAnta eſt corporum cœleſtium cum corpore humano Harmonia & conſenſio, ſive convenientia; ut in inferioribus ſuprema: & in ſupremis inferiora inveniamus. Cœleſtia tamen ſuo modo; terreſtria item ex ſuâ qualitate intelligenda ſunt. Unde & Homo ideò μικρόκοσμος, parvus mundus appellatur. Quam quidem Architecti optimi & ſupremi Sapientiam in conſtituendo hoc opere, & providentiam in conſervando, meritò admirari, & grato animo celebrare debemus. Atque, ut brevem hujus Emblematis explicationem; nec non Solis cum corde humano collationem inſtituam: dico. Solem inter cœleſtia corpora præcipuum eſſe. Idem & COR inter partes humani corporis: hinc & primum vivens, & ultimum moriens perhibetur. Ac veluti SOL motu ſuo, & vitali ſpiraculo inferiora & ſuperiora quæque temperat, fovet, & perfundit: Ita quoque COR fundamentum primum & maximum, pulſante motu, tàm ſubjectas ei, quàm ſuperpoſitas corporis partes omnes reficit, & arteriarum adminiculo vegetat. Ut motu Solis, qui radijs ſuis inferiora illuſtrat, mundus carere non poteſt; quòd ſpiritu vitali omnia animalia, plantas & herbas vivificet; Utque præſente Solis lumine, & radiorum ejus diſtributione, terræ partes omnes ſuis muneribus funguntur: Ita COR vitalis caloris eſt quoddam promtuarium, rebus corporis temperandis, fovendis ac alendis. Qui ubi defecerit, omnia languida & imbecilliora fieri neceſſe eſt. Ut SOL in Cœlo, mediam & juſtam ſedem inter reliquos Planetas habet: qui ſi ſupra reliquos, aut infra Lunam eſſet poſitus; inferiora omnia arderent: aut nulla pars terræ vitalis & habitabilis eſſet, propter frigoris vim & vehementiam. Ita COR, ſi ad partes inferiores, puta Crura, poſitum eſſet; inferiora ob vicinitatem calerent. Si in capite; nulla pars inferior caloris vitalis particeps fieri poſſet, propter diſtantiam, aut penuriam, (hinc etiam extremæ partes digitorum & pedum plerumque frigidæ.) Atq; ita mediam ferè corporis partem COR ſibi vendicavit. Ut SOL à reliquis Planetis, qui illum ſtipant, non ſecus, ac Regem ſatellites, cottidiè certa miniſteria, ad ſtatum & modificationem mundi re-


Vide Anton. Mizaldi Harmoniam cœleſt. corp. & humanorum.

rum.

rum recipit: Ita COR à præcordijs & visceribus, certa officia in temperandâ rerum corporis universitate. Ut SOLIS labores & defectus, rebus in mundo plurimùm obsunt; imò futuras mutationes, & calamitates publicas portendunt: Ita si COR laboraverit, reliquas partes propter Sympathiam condolore, trepidare; imò illi tandem commori necesse est. Ad summam. SOLIS calor omnia fovet: quo cessante, inferiora si non interire, saltem langvere oportet: Ita CORDIS calore in corpore humano omnia vivunt, moventur, vegetantur. Non aliâ quoque ratione affirmo, PRINCIPEM bonum in Repub: tanquam Corpore, CORDIS nomen mereri. Hunc enim DEUS præcipuum in illa membrum, à quo cœtera vitam, & salutem civilem trahant, esse voluit. Hic Prudentiâ suâ, tanquam calore & Spiritu, subditorum actiones dirigit ac gubernat. Ab eo, cùm pius, justus, fortis, prudens est, populus exemplum vivendi, moresque suos laudabiliter instituendi mutuatur. Hic præsentiâ suâ, & verendâ ac sublimi claritate, illustribus viris; & benè de Repub: merentibus, vitam, honores, opes, dignitates magis illustrat, auget, & conservat. Hic liberalitate & munificentiâ suâ, fideles ministros ac subditos, ad spontè & fideliter obeunda munia, excitat & reficit. Ille in medio omnium populorum positus, remotis ac longè dissitis, prudenti suo Consilio adest: propioribus clementiâ & gratiâ suâ fiduciam de se benè promerendi addit. Hic (ut SOL Planetis, & COR visceribus,) bonorum Consiliariorum agmine stipatus, res Regni moderatur. Si aliquando contingat, ut vel fortunæ adversæ succumbat: vel regni cladem accipiat; Rempub: & subditos ejusdem discriminis participes fieri videmus. Nec immeritò. Principali enim parte, à quâ reliquæ dependent, patiente: cœteras ei condolere necessum est. Eo autem salvo existente, tota Respub: incolumis, & in omnibus partibus sana censetur. Tandem Principe occumbente; mutationem quandam in Imperio, ut plurimùm metuendam. Quæ cùm diligentiùs perpenderem, ac singula catenatim cohærere animadverterem, Incriptione hac, HOC SPLENDENTE, omnia complexus sum.

Quanta enim felicitas Reipub: & subjectis populis, sub Regibus pijs, ac pacificis redundet, docent Psal. 72. 84. 144. usque adeò, ut splendente Sole, Corde vivente, Principe in Repub: virtutibus prædito: mundo, corpori, & populo optima & salutaria quæque, non secus, atque Cornu copiæ fertilissimum, accedant & redundent. Cum quo Senecæ * convenit: *Olim ita se induit Reipub: Cæsar, ut diduci alterum non posset, sine utriusque pernicie. Nam ut illi viribus opus est: ita & huic capite.* & post. *Animus Reipub: tu es, illa corpus tuum.* Idem. *Ille est vinculum, per quod Respub: cohæret: ille Spiritus vitalis, quem hæc tot millia trahunt: nihil ipsa per se futura, nisi onus & præda, si mens illa imperij subtrahatur.*

* 1. de Clem, 4. & 5.




A D

# AD ILLUSTRISSIMUM PRINCIPEM ET DOMINUM, DN. MAURITIUM, Landgravium Hassiæ, Comitem in Catzenelenbogen, Dietz, Zigenhain & Nidda &c.

## EMBLEMA VIII.

### UTRUMQUE TUETUR.



*Cuspide cur gladij Liber hæret fixus acutâ?*
*Cur calamum & laurum comprimit, (arma) manus.*
*Vera stilo & pilo Ducibus quòd gloria constet.*
*Alterum & alterius quòd benè vincat ope.*
*Laus est magna Ducis, qui gnavus utrumq; tuetur,*
*His quoniam victor certa tropæa locat.*
*Præ reliquis Rhetor, Prætor, Consulq; cluebat,*
*Dux tandem* CÆSAR, *Martis & Artis ope.*

Goslic. de Opt. Senat. lib. 1.

QUi prudentes ſunt, præſertim in Repub: rectè adminiſtrandâ, abſq; adjumento literarum; ij id duplici viâ conſequi ſolent: aut enim naturâ divinâ præditi ſunt, cujus munere omnia ipſi per ſe comprehendunt, provident, intelligunt; quales olim Theſeus & Cecrops apud Græcos: apud Romanos Romulus & Numa fuerunt, qui ad Rempub: gubernandam acceſſerunt, non Philoſophorum præceptis edocti: ſed ingenio à Muſis cœleſtibus inſtructi: Aut experientiâ civili, varijsq; caſibus, & rerum mutationibus cautiores facti; quid Reipub: ex uſu & commodo ſit, cognoſcunt. Qui quidem, ſi viri boni ſunt, legibusq; in Repub: conſtitutis, omnia moderantur, meritò laudandi; quanquam imperfectam hanc Prudentiam dixerim: Sin mali; tantò magis vituperandi, quòd modum & rationem gubernandæ Reipub: neſcientes, cunctaq; ex ſuo ingenio & commodo metientes, eandem tumultibus, ſeditionibus, ſœpè cœdibus implent. Cùm autem duplex ſit Reipub: ſtatus; Tranquillus ac pacatus: & turbidus ac irrequietus: Aliaq; ſit ratio pacis colendæ; alia item Belligerandi. Principem profectò Prudentiâ tali præditum eſſe neceſſe eſt, ut utriusq; commoda & damna ob oculos ſibi ponens, non ſolùm, quid quo quo tempore agendum, antevideat: ſed ex adminiſtratione ita clareſcat; ut apud ſuos ſubditos Amorem & authoritatem promereatur: ab exteris verò timeatur. Hanc Prudentiam qui uſu & experientiâ ſibi acquiſiverit: ſive ex libris hauſerit, meritò magni æſtimandus. Ac ſanè, quoniam nulla Reſpub: ſine legibus, (*quæ inſtar animæ in humano corpore ſunt, & certa ac firma vincula, quibus potentiorum intemperies ſtringitur,*) conſiſtere poteſt. Principis autem ſit eas ferre, latas interpretari: ſecundum eas, lites & controverſias forenſes decernere: unicuiq; ſuum, ex juſtitiæ præſcripto tribuere: eum profectò, (qui aliàs lex viva eſt & appellatur,) ſi non ſcientiâ literarum, at tamen quæ ad Rempub: moderandam duntaxat ſpectant, inſtructum; Jurisq; quod dicere & adminiſtrare debet, peritum eſſe oportebit: utque arma bellicis in tumultibus, legibus certis, à vi, rapinâ, alijsque criminibus & flagitijs, quæ Martem ſponte ſequuntur, coërcere: atq; diſciplinæ militaris auxilio, (quæ ſine legibus non

eſt)

eſt) milites in officio retinere ſciat. Id facilè adſequetur: ſi libros doctorum virorum, qui varios caſus, pacis & belli tempore conſignárunt, evolverit: animumque literis optimis excoluerit: aut literatos, varijsq; caſibus & fortunæ telis exercitos, in Conſilium adhibuerit, qui ei ſemper adſint, & quid facto tàm pacis, quàm belli tempore in Repub: prudenter gubernandâ, opus ſit, fideliter admoneant. Cumq; ad defendendam ſuorum ſalutem, & Rempub: ab hoſtium injuriâ, & vi externâ, armis opus ſit, ac Fortitudine: idq; potiſſima pars officij Principis non negetur: Quotidiè quoq; videamus & experiamur, generoſis & heroicis naturis proprium eſſe, ſtatim in pueritiâ equitatu, luctâ, curſu, & agoniſticis certaminibus delectari: armisq; aſſiduè geſtandis tractandisque, animos ac manus exercere ſolere: quaſi vox ea naturæ ſit & teſtatio: Officium Principis in fortitudine potiſſimùm militari, & bellicis experimentis ſitum eſſe: quis unquam prudentiorum negare audebit: Armorumq; uſum & belli gerendi ſcientiã, cum literis conjungi oportere? quandoquidem Imperia & Principatus, continuo ac ſolo armorum uſu, ſtare non poſſint, hæcque illas, contra verò illæ hæc defendant; ſintq; adeò arcto vinculo neceſſitatis colligata; ut alterum absq; alterius ope conſiſtere neutiquam, & citra ignominiam à bono principe ſeparari non poſſit. Princeps enim leges, Religionẽ, libertatem ac diſciplinã non rectè tuebitur armis; qui vim earum rerum, & neceſſitatem ignorat: quæ omnia ex fontibus hauriuntur literarum. Neceſſitatem hanc optimi Principes omnibus temporibus agnoverunt; literasq; cum armis conjunxerunt, ac conjungendas cenſuerunt, ut pote; quòd illæ animos manſvetiores reddere; &, ne arma temerè ſumerentur, juſtâve ex causâ ſumpta, cum ignominiâ ne deponerentur, temperatâ quadam ratione eoſdem inſtruere ſoleant. Ideò tot laudatiſſimi, & pacis ac belli artibus celeberrimi Imperatores, Reges, Principes, ac Duces olim extiterunt: & hæc noſtra ætas, ſi ulla unquam magis, DEI gratiâ, Principum literatorum fertilis eſt: quorum ingenij & ſtudiorum monumenta literis conſignata, ſummâ cum admiratione legimus, & ad uſus noſtros convertimus. Teq; Princeps Illuſtriſſime in literis & armis magnifacimus, admiramur


miramur & suspicimus. Eandem Necessitatem Sacratissimus
* In Procem. Instit. Iur.
* Imp. Justinianus agnovit, cum ait: *Imperatoriam Majestatem, non solum armis decoratam: sed etiam legibus oportet esse armatam, ut utrumq; tempus, & bellorum & pacis rectè possit gubernari, &c.* Et ut quidam rectè sensit. *Principes nullâ literarum scientiâ excultos, instar mancipiorum, imò ferè brutis deteriores esse, eò, quòd pecudes naturæ duntaxat affectibus obsequantur: homò verò, inprimis potentiâ armatus, nisi omni liberali doctrinâ imbuatur, ac formetur, in affectus, plusquàm ferinos cœco impetu præceps rapiatur: & libidines refrænare: cupiditates domare: cœteras animi perturbationes ac labes repellere prorsus nequeat.* Hinc Emblema nostrum: Cuspidi nimirum gladij liber affixus; ut scilicet, ratio recta & Consilium arma regat. *Parva* enim *sunt arma foris, nisi sit Consilium domi.* quòd verò armata manus calamum scriptorium & ramum lauri simul teneat, innuo; veram victoriam principem ex suis tùm hostibus, tùm inimicis referre; qui non temerè ad arma prosiliat: sed consilio priùs habito, & deliberato animo, negocia perficiat: hinc vera gloria nascitur; quam non tantùm in animis hominum impressam relinquet: sed scriptis etiam ad posteritatem transmittet. Verum enimverò quoniam de præstantiâ, necessitate, & utilitate Literarum ac Armorum plura scripsi in discursu meo politico, de Literis & Armis: ideò hìc multis supersedeo. Plato Epist. 6. *Literis & armis constat Respublica.* Id. Epist. 7. *Altera alterius semper eget auxilio: tàm militaris res legibus in tuto est collocata, quàm ipsæ leges armorum sunt servatæ præsidio.*

AD

# AD ILLUSTRISSIMUM PRINCIPEM AC DOMINUM, DN. HEINRICUM WENCESLAUM, Ducem Monſterbergenſem & Olſnenſem, Comitem Glacenſem, Dominum in Sternbergk & Jaiſchwitz &c.

## EMBLEMA IX.

### ERIGITUR VIRTUS TACTA.



*QUos* DEUS *ad regni ſummos evexit honores,*
*Non unquam curis Invidiâq; carent.*
*Sive vacant ſomno; vigileſve negocia tractant;*
*Illorum eſt variis vita ſubacta malis.*
*Securi Cuſtode* DEO *tamen aſpera vitant:*
*Hos quoniam* JOVÆ *provida cura tegit.*
*Tacta etiam erigitur Virtus diſcrimine. victrix*
*Et tandem celſum tollit ad aſtra caput.*

SI quis Principum vitam, & ſtatum eorum, paulò accuratiùs conſideraverit; eum quidem felicem, illosque beatos (ſi tamen felix & beatus appellandus, qui vitæ diſcriminibus & periculis varijs eſt expoſitus,) dixerit: quòd ſupra aliorũ conditionem & communem hominum ſortem evecti, omnia ad nutum & arbitrium ſibi affluere videant: votorumque ſuorum compotes fiant. Verumenimverò, ſi quis exactiùs rem penſitaverit, quibus periculis, & fortunæ iniquæ telis eorum ſit vita obnoxia: non modò non beatos & felices: ſed ſtatum eorum, ne quidem cum privati hominis mediocri-fortunâ utentis ac viventis, commutan-
" dum eſſe, haud negaverit. *Uſq; adeò magnæ fortunæ, Comes eſt*
" *Invidia, aut ruina.* Et quemadmodum Navi in altum eductæ, maximum periculum imminet, ubi mare profundiſſimum. Utq; altas turres & ædificia, ventis & fulminibus maximè obnoxia videmus: Sic Principum vitam, varijs periculis, quæ partim ab ipſorum vitijs: partim ab aliorum malitiâ procedunt. Imò & ab ijs ſœpiſſimè, quos fidos & aſſiduos Comites habent, vitæ diſcrimina ſubeunt. Unde Trajanum legimus, Imperium tanquam intolerabile onus, moleſtijs periculisque plenum ſpreviſſe, nec niſi neceſſariò ſuſcepiſſe. Huc reſpexit* Chryſoſt: ubi dicit. *Non ad diadema Regum reſpiciendum: ſed curarum tempeſtatem, per quam ipſis Corona paritur.* Jul. Cæſar prælia multa commiſit, atque inter graviſſima vitæ pericula verſatus, Victor evaſit: à conjuratis tamen in Curiâ, quæ ſecuritatem ei præſtare debebat, miſerè confoſſus eſt. Alexander Romanus à ſuis militibus interfectus. Sic Probus, Dux clariſſimus; Sic Gratianus & Valentinianus Junior, optimi fratres: ille à ſuis legionibus; hic à ſuo Comite occiſus eſt. Placet hic adſcribere verba Saturnini ex Vopiſco. Cùm ipſi invito à militibus purpura Imperatoria indueretur: flendo ita eos compellavit: *Neſcitis amici, quid mali ſit Imperare. Gladij & tela noſtris cervicibus impendent, imminent haſtæ undiq;, undiq; ſpicula: ipſi cuſtodes timentur, ipſi comites formidantur &c*: Paulò poſt. *Adde, quòd omnis ætas in Imperio repræhenditur. Senex eſt quiſpiam, inhabilis videtur; ſin minus, ineſt furor. Nam quod imperatorem*

* Hom 66. Camer. in oper. ſucc. Cent. 1. c. 45.

*peratorem me cupitis, in necessitatem mortis me trahitis.* Diocletianus Cæsar post gloriam togâ sagoque partam, privatam vitam egit postquam Imperium laboribus, curis, & periculis plenum expertus esset. Divum CAROL. V. Imp. laudatissimum, solitum fuisse dicere, legimus; se resignato Imperio, plùs voluptatis in suâ monasticâ solitudine, uno die percepisse, quàm ex omnibus suis victorijs & triumphis, quibus præ cœteris FELIX habitus fuit. Quanquam autem pij & boni Principes, medijs in periculis versentur, omniumque odijs & invidiâ petantur: DEUS tamen OPT. MAX. illorum vitæ & salutis curam, & custodiam agit; ne de vitâ periclitentur: ut videre est in Josepho Gen. 50. Davide, 1. Sam. 26. De Tito Vespasiano * *Joseph.* tradit in obsidione Hierosolymitanâ, eum incolumem, ex medio Judæorum agmine, pluri- mis trucidatis, evasisse. * JOHANNES CORVINUS Matthiæ Pater, post cladem Varnensem, & mortem Vladislai Regis Ungariæ, cùm bellum instaurasset, ac à Turcis victus, fugâ sibi consuluisset; atque à duobus latronibus in sylvâ propter vestes aureas, & crucem auream, quam de collo suspensam habuit, infestatus esset, dumque hi de cruce inter se contendunt, ille arrepto gladio alteri horum, unum occidit: alter aufugit, sic salvus vitæ periculum evasit. JACOBUS VI Rex Scotiæ, miraculosam sanè, ac divinam protectionem expertus est: qui inermis ac solus, insidias conjuratorum, in quos inciderat, incolumis declinavit. Quamobrem, cùm sciamus Reges, vices DEI in terris obire, eique maximæ curæ esse salutem eorum; quosque ipse præsentissimis periculis sæpenumerò eripiat, * non modò eis manus violentas inferre summum nefas: sed malas de ijs cogitationes concipere, scelus esse credamus. * Qui enim omnium saluti advigilant, ac propterea multorum odium, invidiam incurrunt, vitæ discrimen extremum subeunt, fas est tutos, securosque præstare. Nam ut idem * Bodin. inquit. *Principum securitas nulla major esse potest, quàm, ut subditi persvasum habeant, sanctos & inviolabiles esse oportere.* Idem. *Tametsi cogitationes hominum flagitiosorum nulla pœna ll. persequatur, sed ea tantùm de dicto factove foras in scelus erumpunt:*

*De bello Iud. lib. 6. c. 2.

*Bonfin. dec. 3. lib. 7.

Perthi. Anno 1600. 5. Aug.

*Vide Alb. Gentil. de vi Civium in Regem semper iniustâ.

*Bodin. de Repub:

*lib. 2 de Repub. c. 5.

*ſi quem tamen violandi principis prava cogitatio ceperit, etiamſi nihil tentaverit: hanc tamen cogitationem capitali pœnâ plecti oportere judicárunt.* Dd. in l. *ſi quis non dicam rapere.* C. *de Sacroſanct. Eccl.* Hoc igitur Emblemate Principum ſtatum exprimere volui. Sentes enim & vepres atque ejuſmodi aculeati ramuſculi quid aliud ſunt, niſi Odium, Invidia & Malignitas hominum? Per ſagittas, bella aperta & inſidias, aliaque fortunæ adverſæ tela intelligo, quibus vita Principum petitur. Symbolum ex * Senecâ ſumſi. *Erigitur virtus, cùm tacta eſt, & impulſa.* Principes enim pij, adverſis agitati, ardentiùs vota ſua DEO nuncupant: eique pro liberatione gratias agunt: ſeque divino auxilio in ipſis periculis erigunt.

* Epiſt. 95.



AD

# AD ILLUSTRISSIMUM PRINCIPEM ET DOMINUM, DN. CAROL. FRIDERICUM, Ducem Monſterbergenſem & Olſnenſem, Comitem Glacenſem &c.

## EMBLEMA X.

### IGNOSCERE PULCHRUM.



*SI quoties peccant populi, iræ fulmina Princeps*
*Torqueat, ac pœnas ingeminare velit:*
*Ipſe diù terris poterit vix eſſe ſuperſtes.*
*Gignere namq́ necem nex iterata ſolet.*
*Adde metus Regum, populi quòd ſæpe timorem*
*Suſcitat, & ſemper quos vereantur, habent.*
*Aſt molli hîc thalamo ut fulmen crudele quieſcit!*
*Sic Princeps parcat, perdere quando poteſt.*

PRincipem quidem Virtutibus omnibus conspicuum esse Reipublicæ utilitas requirit: ad cujus vitam & mores, suos quoque subditi forment: Justitiam tamen & Clementiam, ei summâ diligentiâ colendam & exequendam, Necessitas ipsa postulat. Illam, I. Lipsius * describit, *Virtutem, Ius & æquum in se, inq; aliis firmiter servandam.* Hanc, *Virtutem animi à pœnâ aut vindictâ ad lenitatem cum judicio inclinantis.* & rectè. Sine justitiâ enim nulla Respub:, nulla civitas, nulla societas, nulla denique domus consistere diù potest: cujus tanta vis est, Cic.* teste, ut *nec ij quidem, qui scelere ac maleficio pascuntur, possint sine ullâ particulâ eius vivere*: cujus quoque tanta est necessitas, ut, quemadmodum corpus sine animâ vivere non potest: sic Rempub: collabi sine justitiâ oportet. Clementiâ autem, si erga sontes Princeps non utatur cum judicio; odium in se multorum, imò vitæ periculum proritabit. Justitiam cùm appello, rigorem Juris excludo. Nam qui omnia ad summum Jus revocat: injuriam sœpè facit: certumq; est, quòd * *Severitas amittat assiduitate auctoritatem.* Neq; hic Justum intelligo, qui sit obligatus ad interficiendos homicidas, latrones: quod minimè tantæ sublimitati convenit: Sed qui sit legum tàm divinarum, quàm humanarum observantissimus, sibiq; ipse leges ponat, ac secundum eas vivat: sic alijs justè imperare, eisque rectè Jus & Justitiam administrare poterit. Bene ille monuit:

*Justa agito Princeps, hæc quoq; vulgus aget.*

Detestetur vocem illam, *Licet si libet*: nec non illud: * *In summâ fortunâ id æquius, quod validius.* Nimia enim licentia cum vi conjuncta, cùm tristem semper pariat exitum; tùm Principi maximè nocet: quòd & neglegentiores in officio subditos; & in vitâ ac moribus dissolutiores habebit cives, qui exempla Principis sui tacitâ quasi necessitatis lege imitantur: quin potiùs illud in mentè sibi revocet. *Qui peccare potest, peccat minùs: ipsa potestas*
*Semina nequitiæ languidiora facit.*

Proinde, cùm Princeps ideò institutus sit in Repub:, ut præsidium sit bonorum, eos contra sceleratos defendens; utq; *sit vindex injuriarum, custos libertatis, ac judex cujusq; virtutis & vitiorum,* sine

* Polit lib. 2. cap. 10.
* 2. Off.
* Sen 1. de Clement.
* Tacit, 15. Annal.
Goslicius de Opt Senatore lib. 2.

ſine juſtitiâ id exequi nullo modo poterit. Atq; cùm bonus Princeps PATER PATRIÆ appelletur: paternum in ſubditos amorem induat oportet. Ut enim parentes nonnunquam objurgare ſuos liberos, aliquando ijs blandiri, monere, quandoq; corrigere & verberibus excipere ſolent: Sic Regem erga ſubditos ſe exhibere decet: ut tàm Reipub:, quàm populi conſervandi causâ, aliquando ſeverum, nonnunquam mitem placabilemque ſe præſtet, communemq; omnium utilitatem, tanquam pater filiorum tueatur & amplificet. atq; hæc eſt inter Regem & Tyrannum differentia, quòd ille publicæ communisq;, hic privatæ utilitatis curam habet. Clemens ſi audiri cupit, * *Severitatem peccatis magnis commodet: parvis autem veniam: nec pœnâ ſemper, ſed ſæpiùs pœnitentiâ ſit contentus.* Ut enim hac ratione Amorem apud ſubditos ſibi conciliabit: ſic ſeveritate intempeſtivâ & rigore, Odium ac metum: *qui malus diuturnitatis cuſtos:* Econtrâ, Benevolentia fidelis ad perpetuitatem. * *Severitas* enim: *ſine clementiâ verè eſt*, ſecundū Auguſtinum, *ſæva veritas, & niſi ea intra congruentes nocentium pœnas ſe contineat, fit ſæva crudelitas.* Diſſimulet ſœpè, ac interdum tempori ſerviat: non ut malorum improbitati conſentire videatur: ſed ut aptum correctionis tempus expectet, eosque cum ratione vel emendet, vel puniat. Eleganter Poëta, quamquam de Politico. * *Diſſimula, ſimula quoties occaſio poſcit,*

*Moribus ut morem temporibusq; geras.*
*Temporibus qui ritè ſapis, ſervire memento*
*Omnibus, ut tempus ſerviat omne tibi.*

*Tacit in Agric.

*Reſn. in Symbol. Imperator.

*Ioan. Ovven.

Rectè itaq; FRIDERICUS PRIMUS CÆSAR dixit: *Qui neſcit diſſimulare, neſcit imperare.* quod tamen non ita intelligendum eſt, ut Princeps candorem tueri non debeat, quod decet: ſed, ne ſi multa ſibi quandoq; adverſari intelligat in Imperio, per vim multa moliatur, aut faciat, quorum ipſum fortaſſis poſteà vel pigeat, vel pudeat, vel pœniteat. Errant igitur Principes illi, qui Juſti ac ſeveri in ſuâ Repub: videri cupientes, minima quæq; peccata ad legum rigorem appendunt: qui, tantum abeſt, ut juſtitiæ ſerviant, ut omnium in ſe odium concitent; quin ſatiùs

* *Quò* quis *plura poſſit, plura patienter ferat.* Nam
* *Plebem timeto, qui ſolio inſidens*
*Plebi timeris. fons odij timor.* *Audere*

*Seneca.
*Muret.

*Audere jussit multa multos.*
*Sæpè gelu calor excitatur.*

* *Malè sanè terrore veneratio acquiritur, longéq; valentior amor ad obtinendum quod velis.* Si igitur Princeps hanc rationem, in conciliando sibi Amore subditorum inierit, ex quo FIDES & SECURITAS: dubio procul sibi, Reipublicæq; optimè consulet. * *Nihil enim est*, inquiebat Antonius Pius, *quod Romanũ Imperatorem magis commendet gentibus, quàm Clementia. hæc Cæsarem Deum fecit: hæc Augustum consecravit. &c*: Caroli V. Principis & Imperatoris, æternâ laude & memoriâ dignissimi vox verè Heroica: quâ Clementiæ studiũ & generosam suã indolem ac virtutem, (quæ omnibus Principibus Austriacis communis, ac hæreditario jure tradi solet,) demonstravit, memoratur; qui Principi cuidã familiari suo

* *Quærenti, hostilem cur nollet perdere terram*
*Rettulit; ut victis parcere sæpè queam.* D. Maximiliani I. Cæsaris, similis Heroica virtus legitur celebrata; qui cuidam percunctanti, cur Morinos malè de se meritos non ocyus malè deperderet, respondisse fertur: *Quoniam*, inquit, *parcendum his est, ut rursus victus sæpius queam ignoscere*: verè Regiè! Victoria enim nulla illustrior esse potest quã cùm victor vincitur, victusq; vincit. Inde & Emblema hoc sumsi. Fulmine enim quid violentius? quid horribilius? quid celerius? (unde & alæ ei adpingi solent,) quòd supremi Jovis gestamen est, eiq; à Poëtis non sine certâ ratione attribuitur: ac fulmen violentiam ac crudelitatem ego interpretor, propter eius magnã & penitrabilẽ ubiq; vim. Quòd verò in toro seu pulvinario recumbat: Clementiã, animumq; Principis in vindicando remissum intelligo. Hinc & * Joan. Pierius arguit, *offendendi potestatem penes ipsum Imperatorem esse: verùm ob eius Clementiam quiescere.* Cum quo & * Seneca facit. *Occidere contra legem nemo potest, servare nemo præter principem.* & * alter.

*Pulcrum eminere est inter illustres viros;*
*Consulere patriæ; parcere afflictis; ferâ*
*Cæde abstinere; tempus atq; iræ dare;*
*Orbi quietem; seculo pacem suo:*
*Hæc Summa virtus, petitur hac cælum viâ.* Symbolum autem ex Claudiano sumpsi, qui ait: -- *ignoscere pulchrum*
*Jam misero, pænæq; genus, vidisse precantem.*

* Lips. lib. 2. c. 13. Polit. ex Plin lib. 8. Epist.
* Hippol. à Collib. in Principe c. 4.
* Reusn. in Symb. Caroli V.
Nihil est tam peculiare Imperialis Maiestatis, quã humanitas, per quam solam Dei servatur imitatio. l. ult. C. de donat. inter vir. & uxor.
* Hierol. lib. 43.
* 1 de Clem 5.
* Sen. in Octa.

# AD ILLUSTREM, GENEROSUM ET MAGNIFICUM DOMINUM,

## DN. CAROLUM, L. Bar. de Zerotin, DrewohoſticI RoſſitzI & Preræ Dominum, quondàm Promarchionem Moraviæ. &c:

## EMBLEMA XI.

### CONSILIUM VIRES SUPERAT.



*Viribus hanc molem unius quis credat in altum*
*Surgere? at hanc unus Vir levat, ecce, manu.*
CONSILIUM VIRES SUPERAT. *Vi quodq; negatur:*
*Ars id, Conſilium, perficit & Ratio.*
*Lite procul, vulnus cepiſſet publica nuper*
*Res Moravûm; gladius jam quia ſtrictus erat.*
*Conſilio aſt ictus poteras avertere prudens:*
*Et ſalvâ tutos reddere pace Status.*

G Qui

QUi Rempublicam Navi ſimilem eſſe dixit; non ineptè dixiſſe mihi videtur. Quemadmodum enim in Navi variæ diſtribuuntur officia: quæ ad eundem & unum finem ſpectant; ſunt enim alij maliſcanduli, proretæ, helciarij, plumbarij, portitores, limenarchæ, urinatores, velifices, exantlatores, qui aquam è ſentinâ hauriunt: alij alia munia obeunt. Unus tamen eſt, cujus curæ tota Navis committitur: quiq; ad clavum ſedens, navim gubernat, tempeſtates prævidet, illis ingruentibus, ex arte ſic eam moderari novit; ut nõ modò ipſa, ſed qui in eâ ſunt, ac omnia quæ continet, ſalva eſſe poſſint: Sic in Republicâ, variæ multis demandantur officia. Uni tamen totius ſumma & cura committitur, qui prudenti ſuo Conſilio pericula imminentia avertere, commoda publica augere, privatorum bona, atq; adeò omniũ ſalutem, ſuæ quoq; vitæ jacturâ, tueri ac defendere poſſit ac velit. Majus enim ac gratius officium; pietasq; debita promtior præſtari non poteſt quàm, cùm quis patriam Conſilio, fide, & ubi opus eſt, vitæ profuſione juvare non detractat: ut unius morte, omnium ſalus & vita ſervetur. Quandoquidem, ut Val. Max.
lib. 5 cap. 6. ait: *Eversâ domo, intentatus Reipub: ſtatus manere poteſt: urbis ruina, penates omnium trahat ſecum neceſſe eſt.* At quantò majus periculum Navi impendet, cùm is, qui ad gubernacula ſedet, artem gubernandi neſcit: tantò è contra certius emolumentum Reipub: ſperandum eſt: cùm talem habuerit Moderatorem, qui conſilia, & vires omnes ad ſalutem patriæ tutandam conferre, actiones ſuas ad communem utilitatem dirigere, easque tempore & prudentiâ moderari ſciverit. Cumque magnæ res, magnis ſemper adjutoribus egeant: quis non videt, tales ad Rempub: gubernandam aſſumendos ac adhibendos; qui rerum longo uſu edocti, prudentiâque politicâ inſtructi, in illâ juvandâ, augendâ & conſervandâ, nulli labori, nullis ſumptibus, ne ſuæ quidem vitæ parcunt? Exempla plurima tàm antiqua, quàm recentia in medium proferre poſſem eorum, qui ſe pro patriâ ſervandâ fortes præſtiterunt; pietatemque ſuam erga Rempub: opum & propriæ ſalutis impendio teſtati ſunt: ſed tu ILLUSTRIS & MAGNANI-

me CAROLE, BARO de ZEROTIN &c: Unus instar omnium mihi es, (quod tuâ bonâ pace, absque adulatione dixerim:) qui Brutos illos, Curtios, Decios, Camillos Scipiones atque alios innumeros, PIETATE erga patriam vicisti: FORTITUDINE verâ, & constanti MAGNITUDINE animi superásti: atque omnibus exemplo tuo præivisti: quâ pietate & officio, Cives boni erga patriam: quâ Magistratus erga subditos fidelitate & animo, præditi esse debeant! Prudentiâ enim tuâ imminentes casus patriæ, tanquam è speculâ longè ante prævidisti; Consilio avertisti; Fortitudine gladios cervicibus impendentes repressisti; generoso pectore & animo tuo, ruinam legum & Reipub: declinâsti; Constantiâ libertatem â servitute vindicasti. Cumque omnia nutare, & quasi jam ad casum vergere viderentur, maturo judicio tuo erexisti. Jura non tantùm ad pristinum statum & vigorem, consensu & auxilio Ordinum revocasti; sed & novo quodam præsidio, & perpetuùm duraturo robore, tanquam mœnibus ac vallo munivisti, cinxisti, obfirmasti. Ea denique Reipub: præstitisti, quæ Civem bonum & patriæ amantem decent; ut non tantùm Civis optimi, fidelis Magistratus; sed PATRIS PATRIÆ nomen non injustè merearis. Pericula enim & casum Reipub: longè antevidere; consilio eum antevertere, decus patriæ in libertatem suam asserere, Jura ejusdem conservare, omnium vitam gladijs strictis eripere; qui hæc faciat, non ego eum Patrem patriæ dico: sed Sospitatorem communis salutis, sapiens quisque pronunciat. Cumque alij patriam & Rempubl: vitâ tantùm pro eâ profusâ juverint. Tu vivus eam sustentas: fructumque laborum tuorum vivus percipis: ac quod alijs post mortem defertur; Tu vivus præclarè, & benè â te gestorum laudem & honorem consequeris; & quæ de te tuisque factis, hominum futura sit post mortem existimatio, jam percipis. Cumq; nunc in ore viventium tua facta versentur: sunt & erunt, qui nominis tui famam posteritati tradent scriptis exornandam, extollendam, & ab interitu vindicandam. Sed ut vitium assentationis, â quo semper naturâ abhorrui, effugiam; alijs majora & plura, de hac re scripturis, relinquo. Id

unicum precor, ut te Reipub: & Patriæ Bono, DEUS diù incolumem ſervare velit. Emblema autem hoc ILLUSTRI & GENEROSÆ Dominationi tuæ inſcribere ac dicare placuit: tùm, quòd, ( meo judicio ) prudentis Magiſtratus adjuncta exprimere videatur: tum, quòd heroicis tuis factis tropæum à me volui poſitum: Columnam enim grandem Rempub: intelligo; cui onera magna incumbunt ſuſtinenda: quæ ob molis magnitudinem ſœpè à multis erigi non poteſt, unius ingenio, parviſque interdum machinis elevatur. Fruſtra enim quis vires ſuas intendat, quantumvis maximas; qui conſilio, res & actiones tàm publicas, quàm privatas, priùs menſus non fuerit. Nam ut Horat: ait. Lib: 3: Ode. 4.

*Vis conſilij expers mole ruit ſuâ.*
*Vim temperatam Dij quoq; provehunt*
*In majus: ijdem odére vires*
*Omne nefas animo moventes.*



AD

# AD ILLUSTREM GENEROSUM, ET MAGNIFICUM DOMINUM, DN. JOACHIMUM MALTZAN. L. Bar. à Warttenberg & Pentzelin, Militschl & Freihan Dynastam, S.C. Mtis Consiliarium. Fautorem meum colendum.

## EMBLEMA XII.

### IDEM SEMPER UBIQUE.



*FAllitur, obscurum inter nubila densa nitorem*
*Quisquis Phœbeæ lampadis esse putat!*
*Tectus nube licet radium exeruisse micantem*
*Non queat: illius lux tamen usq; nitet.*
*Pressa gravi Mens sorte Ducum generosa, subinde*
*Indolis excelsæ splendida signa refert.*
*Marte furente, minis, ferro, precio, precibus, vi*
*Acta, suum nescit deseruisse genus.*

MOlles sunt plerumq; animi hominum in calamitatibus rectè ait Tacitus: quòd, cùm amicissimus sibi quisque sit, ea non tantùm sponte, sed naturâ sic dictante sequatur, quæ jucunda, quæ dulcia sunt: illa verò summo studio aversetur, quæ dura & aspera, animumque turbare soleant. Hinc fit, ut tantò impatientiores malorum homines in calamitatibus, & quæ eos premunt, in reb⁹ adversis existant; quantò plus voluptatis, in rebus ad nutũ sibi affluentibus antè perceperunt. Et ut Horat.
*Epist. 10. * inquit. *Quem res plus nimio delectavere secundæ, Mutatæ quatiũt.* Verumenimverò, qui pectus suum Vallo Constantiæ cinxerit, ac animum clypeo Fortitudinis adversus omnes fortunæ impetus muniverit: is non solùm quævis tela fortiter excipere: sed tandem ex Fortunâ ipsâ triumphum agere, summâ cum laude poterit. quanquam multi sub ipsâ luctâ succumbant: pauci, fortes in certamine perseverantes, victores evadant! Habent tamen, nescio quid Genij singularis ac magni præter cœteros, Heroës & Illustres viri; ut neque irascentis fortunæ ictibus: neque arridentis successibus agitentur aut moveantur; quin sui semper sint similes: fortè! quia ut eos DEUS supra aliorum infimæ conditionis hominum sortem collocavit: ita illis quoque robur animi, & constantem voluntatem perseverandi addere soleat! ut fortunam potiùs arbitrio suo gubernent, quàm hæc illos! horum enim, ut Val. Max. ait: *Virtus capi nescit, dedecus ignorat, fortunæ succumbere tristius ducit omni fato.* Et si rem declarare exemplis velim, infinita occurrunt tàm antiqua, quàm recentia. Agesilaus, hortante quodam, ac dicente, ut sibi propter fortunam incertam parceret: At ego, inquit, *meipsum assvefacio, ut in nullâ mutatione, quæram mutationem.* Sulpitius Asper Centurio, percunctanti Neroni, cur in cædem suam conspirasset? breviter respondit: *Non aliter tot flagitiis tuis subvenire potuissem.* Scylla, cùm post occupatam Rempub: Senatum coëgisset, sententiasque rogaret; ut Marius hostis Reipubl: judicaretur: nullis audentibus obviam ire, solus SCÆVOLA sententiam dicere noluit. Quin etiam truculentiùs minitanti Syllæ: *Licet*, inquit, *mihi agmina militum*

*militum, quibus Curiam circumsedisti, ostentes: nunquam efficies, ut propter exiguum, senilemq́ sangvinem meum, Marium, à quo Urbs, & Italia conservata est, hostem judicem.* Catonem, toties mutatâ Republicâ, nemo mutatum vidit; quin eundem se in omni statu præstiterit. M. Antoninus Imp: similis sibi-ipsi semper fuit, nec mutatus est ullâ in re unquam; *erat* enim *bonus, & nihil habebat simulatum.* Caroli V. animi excelsi atque invicti Magnitudo et firmitas laudatur: qui eandem, in rebus secundis & adversis Constantiam & tranquillitatem retinuit, ut in cubiculo eodem, cum ipso versantes, nunquam læta vel tristia ad eundem allata, ex ejus vultu depræhendere potuerint. Nunquam enim Regius ipsius animus, nutante, vel etiam acriter urgente fortunâ abjectè se demisit: vel prospero & secundo flatu aspirante, insolentiùs se efferre, aut jactare solitus est. * Id quod demonstravit in oppugnatione Ducatus Mediolanensis, qui licet ab omnibus socijs desertus, & ab omnibus oppugnatus esset: nunquam tamen ullis conditionibus adduci potuit; ut, (quanquam dubia spes esset victoriæ) ditione illâ, se Francisco Sfortiæ cessurum polliceretur: ne quid animi sui magnitudine & majestate indignum, metu, aut necessitate impulsus fecisse videretur. * *Et quanquam faciliùs sit, gentes barbaras, impatientesq́ alieni arbitrij regere, quàm animum suum continere, & tradere sibi: attamen periclitando, & sæpè cum fortunâ colluctando, suum fieri posse videmus. Nihil* enim *est*, ut * idem ait, *quod non expugnet pertinax, & intenta, ac diligens cura.* Emblema autem hoc, Animum semper eundem designat: qui nec prosperæ fortunæ flatu insolescit: nec adversæ telis succumbit. SOL enim claritatis hieroglyphicum est, ut notat * Pier: quâ homines conspicui sunt. Atque ut SOL semper eundem nitorem & claritatem retinet, nec unquam mutatur. Sic & Generosum animum nullo fortunæ statu mutari decet. Et veluti SOL nobis gratior redit, cùm aliquandiù nubibus atris tectus, radijs suis inferiora illustrare & calfacere non potuit, qui propterea insitam lucem non perdidit: Sic quoque animus constans, major & gratior longè existit; cùm fortunæ adversis casibus

* Dav. Chytr. in Orat. de Carol. V.

* Sen. 5. de benef. 7.

* Epist. 51.

* lib. 44.


casibus pressus non succumbit: quin constantiâ suâ illustrior apparet. Huc pertinet illud Senecæ: *Nemo est fortis, cui non crescit animus in ipsâ rerum difficultate.* Et * alibi: *Hoc tene, hoc morde, adversis non succumbere, lætis non credere, omnem fortunæ licentiam in oculis habere, tanquam quicquid potest facere, factura sit.* Eandem in sententiam * idem. *Talis est sapientis animus, qualis mundi status supra lunam,* SEMPER IBI SERENUM. Ex quo Symbolum sumpsi. Et veluti, *Grata solet pulsis nubibus ire dies*: Ita dum quosdam fortuna vexat, illustrat simul: eorumque animus difficultatibus pressus, sese ad summa erigit. Tandem quisque cogita, Te malorum immunem vivere non posse. quin

* lib. 11. epist. 79.

* Epist. 60.

Autor.

*Quo te cunq; loco Fatum Virtusq; reponet:*
*Spontè sequax fuerit Sors malefida Comes.*
*Non celsæ turres, non arx, non murus ab illâ*
*Defendet, telis adstat ubiq; suis.*
*Quò fugias igitur? tibi sis benè conscius; ipsum*
*Præbebit pectus forte, salutis opem.*
*Ipsa tibi fuerit Mens murus aheneus: inde*
*Sortem despiciens undiq; tutus eris.*



AD

# AD ILLUSTREM ET GENEROSUM DOMINUM, DN. PAULUM à DIETRICHSTAIN, L. Bar. ab Holenburg, Thalbergk & Finckenſtein, Archipincernam Carinrinthiæ &c: Dominum in Kuia & Tilowicz.

## EMBLEMA XIII.

### MENS OMNIBUS UNA.



*DEſine mirari, dum cernis millia centum,*
*Ut formicarum parva caverna fovet?*
*Omnes unanimi ut curâ, unanimiq; labore*
*Horrea ſub terræ, grana reperta vehunt!*
*Efficit hoc felix* CONCORDIA, *vivere diſcas*
*Concors, qui populi puplica frena Regis.*
*Communiq; bono gratis prodeſſe labora:*
*Ut proſit vitæ poſtuma Fama tuæ.*

*Lib. 6. DUo sunt, inquit, * Polybius, *quibus quævis Respublica servatur: F*ORTITUDO videlicet *in hostes, & domi* CONCORDIA. Alterum, quamvis tempore belli adeò necessarium; ut nisi Princeps ea subsidia habuerit, quæ ad conatus hostiles infringendos requiruntur: facilè se, & Rempubl: extremis discriminibus exponet: Alterum tamen, tàm in bello, quàm pace magis necessarium videtur. Nam licet Imperator aut Dux belli potestatem rerum gerendarum penes se habeat, quas reliquos administros exequi omninò oportet: nisi tamen horum consilia exquirat, & si ex usu fuerint, ijs acquiescat: ipsiq; concordes eandem sententiam inter se comprobaverint, casus aliquis superveniens, (qui etiam optimè consulta & cogitata subvertere solet,) imperij vim franget. Frequens enim admodum in bello, ut cùm hostis virtute, vel aperto Marte, vincere non possit: arte, id est, fraude fortunam experiatur, administros belli pecuniâ, donis, & largis promissionibus corrumpendo; & ut ille ait; *Ubi Leonina pellis non pertingit, ut vulpinam assuat.* Imò vix aliud utilius hosti, quàm, inter administros & exercitus hostis sui, discordiarum semina spargere: inde enim occasiones sibi accommodæ nascuntur. Discordia enim, cùm aliàs venenum sit Rerumpubl. quòd mentes eorum, qui ad gubernacula rerum sedent, eo infectæ, sanari nullo modo possint, tandem in totum corpus, id est, Rempub: infusum, eam consumi necesse sit: tùm in bello vires suas maximè exerit. Historiarum longâ serie facilè possit demonstrari, si hujus loci esset atq; instituti; quæ incommoda ex discordiâ Principum & Magistratuū orta sint. Sed odiosa sunt. Illud saltim adstruo. Principum Europæ discordias, superioribus temporibus præbuisse potestati Turcarū satis magnū incrementū. * Græcos quoq; intueamur, inter quos lites atq; dissensiones seminarunt, Artaxerxes, Philippus & Romani, ut tandē potirentur. * Jul. Cæsar inter Arvernos & Æduos tamdiù lites atq; dissensiones aluit, donec utrosq; sibi subijceret. Jam ad pacis tempus si respexerimus, reperiemus sanè CONCORDIA Magistratuum ad conservandam Rempubl. nihil utilius; ad promovenda & augenda commoda ejusdem nihil magis necessarium: ad reprimendas seditiones nihil facilius. Nam si illud verissimum, quod veritas ipsa, * Salvator noster protulit: quòd *Omne*

*Iustin. lib. 8.

*Lib. 1. & 6.

*Matth. 12, vers. 25.

*regnum*

*regnum inter se divisum desoletur*: & ex * Philosophi mente, *quod inter se dissidet, infirmum sit*: à sensu igitur contrario, verum quoque erit, quod Concors est, id firmum esse. Jam si Respub: felici in statu incolumis conservari debet: Magistratus verò, quibus à DEO populi regendi juxta justitiam divinam potestas, & salus commissa est: odijs inter se mutuis flagrent, aut certent, quorum tamen una mens, & idem animus, una eademq; voluntas & facultas, bona publica augendi & conservandi esse debet; quâ ratione officij sui partes ritè expleant, non video. Ubi enim diversi affectus, diversæ mentes, & diversæ voluntates, ibi certi nihil concludi, nihil eximij provenire potest: quisq; enim suis nitens rationibus, id solum optimum ducit, quod sibi tale videtur, aliorum judicia & consilia spernit: atque hujusmodi dissensionibus Bonum illud, quod servari debebat, impeditur, negligitur, imò perit. Videmus mundi machinam, quomodo è principijs contrarijs, concordi inter se harmoniâ constet! quæ nisi à supremo motore constituta fuisset, eum dissolvi & interire necessum foret: Hinc ille. *Non staret cœlum scirent si jurgia divi.* Animadvertimus in corporibus humanis, humidum, frigidum, calidum, siccum; inter se temperatum, optimam reddere eorum constitutionem. Cernimus item Civitates ex gentibus contrarijs compositas, egenis, inquam, & divitibus, juvenibus & senio confectis, infirmis & valentibus, probis & nocentibus: quos Concordia adeò ligat, ut diversi licet sint, eundem tamen affectum habere censeantur. Inprimis verò utilitatis maxima momenta Reipub. adfert CONCORDIA, dum seditionis occasiones omnes præcidit; cùm cives Magistratum animis & sententijs concordem, & ad Bonum publicum augendum & servandum, attentum animadvertunt: hac enim ratione ipsi mutuam inter se alunt amicitiam, exemplo sibi Magistratus ob oculos posito. Laudanda meritò vox Nestoris & Ulyssis apud * Homerum, qui unanimes semper fuerunt.

Luc. 11 vers. 17.
* Arist. lib 5. polit. c. 6.
* Odiss. γ.

*Haud unquam neq; concio nos, neq; Curia dictis*
*Audivit pugnare, animo sed semper eodem,*
*Et sentire eadem, atq; eadem decernere vidit.*

Ubi verò cives animadvertunt, Magistratum in diversas & contrarias, de Bono publico abire partes, facilè uni parti adhærentes,

 seditiones

ſeditiones & factiones concitant. Præclara igitur illa Philoſophi ſententia: *Reipub. rectores, ſi concordes ſint, facilè Rempub. moderaturos, diſcordibus verò plebem ipſam dominari.* Statuendũ ergò: Concordiâ Magiſtratus, in Repub. conſervandâ nihil utilius, nihil magis neceſſarium, nihil ad hoſtes reprimendos, nihil ad ſeditiones ſedandas fortius: quod præſente Emblemate demonſtrare volui. Videmus enim ſœpè, formicarum aliquot millia unâ cavernâ concludi; quæ aſſiduè hinc inde curſitantes, & grana in ſpecum comportantes, invicem ſe non impediunt: ſed quaſi communi bono collaborantes, unanimi conatu & concordi voluntate, futuræ neceſſitati proſpiciunt. Formica autem inter cœtera, Providentiæ hieroglyphicum eſt & laboris: ego ad Concordiam refero: Unde non immeritò quidam, cùm in horto multas formicas unam cavernam intrantes, & inde exeuntes videret, dixit: aliquot millia formicarum, vivunt in pace & Concordiâ in unâ cavernâ: & duo viri in unâ Republicâ non poſſunt tranquillè vivere. Non ſolùm igitur juſtum: ſed ſummè neceſſarium eſt, ut ij, qui Magiſtratus officio funguntur, Concordiam inter ſe alant, quæ eſt aureum & adamantinum vitæ vinculum: maximum ad conſervanda imperia, atq; principatus ſtabiliendos adminiculum. Cui olim Romani Templum, nullam ob aliam cauſam extruxerant, quàm, ut hominum diſſidia, quibus interdum Reſpublicâ agitari ſolet, factis in eo ſacrificijs deponerentur. Quippe, quòd

*—— ſciſſura domeſtica turbat*
*Rem populi, titubatq; foris, quod diſſidet intus.*

Et *periniquum eſt, propter privatas ſimultates Rempub. in diſcrimen adducere.* Prudenter itaq; exiſtimárunt Romani: * *Non oportere eos privatis odiis diſſidere, qui publicè ſummâ eſſent juncti poteſtate.* Hinc & ſalubriter cavetur auguſtiſſimo * Spirenſi Senatu, ex lege, quã Magnus Cæſar, atq; adeò Adſeſſores ipſi ſibi dixerunt: *A diſſidiis utrinq; contumeliisq; abſtinento: paci & concordiæ mutuæ ſtudento.* Seponat itaq; ſimultates, ſeponat æmulationem, diſſidia & odia, qui Magiſtratum gerit; qui in Conſilio Principis ſedet. Huc facit.

* Val. Max. lib. 4. c. 2.

* Ord. Imp. p. I. tit. 3. § 2.

** Velle ac nolle ambobus idem, ſociataq; læto*
*Mens ævo, ac parvis dives* CONCORDIA *rebus.*

* Silius.

AD

# AD ILLUSTREM ET GENEROSUM DOMINUM, DN. ANDREAM KOCHTICZKY, L. Bar. à Kochticz & Lubliniecz, Dominum in Koſſentin &c: Fautorem colendum.

## EMBLEMA XIV.

### METU PROCUL.




ET Pax, & Bellum certà ratione geruntur;
*Eſt uſu ſolo diſcere utramq; grave.*
*Principibus libros igitur pervolvere utroq;*
*De Imperio; ſemper non ſine fruge fuit.*
*Nam quæ illis monitor non audet ferre fidelis;*
*Ipſi eadem ex libris edidiciſſe queunt.*
*Virtutem & Vitium, PROCUL omni fraude METUQUE,*
*Ut monſtrant: Reges ſic quoq; Vera docent.*

NUllum esse Imperium gravius ac difficilius, quàm hominis in hominem, rectè ait *Seneca. Nam cùm reliqua animalia vinclis coerceri, aut aliâ ratione domari, atque cicura reddi possint: homines ideò inobedientes experimur; quòd Ratione utentes, supra res omnes creatas, & humanâ industriâ inventas sese attollant: & ideò in leges delinquentes, pœnæ severitatem sufferre nolint: sic consequenter contra justitiæ normam, & publicam tranquillitatem peccantes, Insontes haberi, jugumque Obedientiæ excutere volunt. Justitiæ idcircò satisfacere propter malorũ transgressiones & delicta: & populo placere propter indulgentiam & conniventiam difficilè sanè est. Cumque in vitâ communi: tùm in Republ: res accidant infinitæ, eæque partim malæ, partim bonæ, atque inter se varijs modis sint commixtæ: ac in singulis majus bonum, minusve malum eligendum sit: necesse est eas diligenter inter se conferre; ut quid singulæ vel solæ, vel cum alijs cunjunctæ ponderis habeant, cognoscamus. Quàm verò difficile sit, Uni mentis acie id perspicere, ac judicij lance pensitare, nemo sapientum inficias ibit. Opus igitur adjumentis. Hæc, vel homines docti & prudentes: vel Libri erunt. Cùm autem Prudentia longo tantùm usu & tempore acquiratur: Nobis verò Natura breve spacium vivendi largita sit: ut tantam varietatem, & quas ipsa singulis momentis formas rerum producit, animo compræhendere non valeamus, nec possimus. Finitum enim quod est, infinitum compræhendere non potest. Quapropter Princeps Viros sibi adjunget, ætate graves; usu & rerum experientiâ; civili & militari prudentiâ insignes: quibuscum cottidiè de rebus ad utramque Prudentiam necessarijs, conferat, eosque libenter audiat & magnifaciat. Sed quoniam unus omnia scire: nec multi omnia, quanquam multa, præsertim ex factis emergentibus, similes antea exitus meminisse queant: Tempora sic distribuat: ut lectioni historiarum & librorum, qui de Regimine Reipub: tractant ac docent, certas horas adsignet. Ex ijs enim virtutes & vitia aliorum Principum cognoscere: quæ bella, ex quibus causis mota & suscepta, quâ ratione gesta, qui eorum exitus: quæ

* lib. 1. de Clement. Si cœtera animalia domari sine tractatione quadã & arte non possunt, multò minùs homo: quia nullũ animal morosius est, maioremque artem requirit, quàm homo.

Hipp. à Col. lib. in Princ[i]pe.

tus: quæ forma Rerumpub: quæ initia, quæ incrementa, progressus, & mutationes fuerint, percipere poterit. Ea denique Ipsemet discet, de quibus alios ipsum monere nec tutum; nec ea ignorare honestum esset. Optimi igitur Consiliarij LIBRI: qui sine metu, Principum vitia propalant, & quæ eos deceant, tutò detegunt ac admonent. Hæc libertas, (quam suis carceribus & limitibus conclusam volo,) nisi jure suo uteretur in præceptis honestis: atq; ex voto probi Principis, docti sua quoque vota fingerent: quid tandem post secula aliquot expectandū esset, non conijcio; præter barbariem: quæ quidem hoc ævo Principum Prudentiæ luce, ejusq; radijs discussa & in exilium est acta: hanc igitur revocare, & in integrum restituere quis prudentum optet? Demetrius Phalereus Ptol. Philadelphum hortari solebat: ut libros plures de regno conscriptos, perlegeret; quòd in ipsis plura repperturus esset, quàm ipsi amici indicare auderent. Augustus ea excerpere ex libris tantùm solebat, quæ ad Rempub: gubernandam facerent. Alex. Mag. Homeri scripta in bellico strepitu & legit, & sub pluvinari, in quo caput reclinare solebat, servavit De Scipione * Paterc. scribit: eum studiorum liberalium tantum fuisse fautorem & admiratorem; ut Polybium, Panætiumque domi militiæque secum habuerit. Semper inter arma & studia versatus, aut corpus periculis, aut animum disciplinis exercuit. Longum esset per exempla, quorum infinitus est numerus, percurrere: qui Imperatores & Principes literas amárunt: doctosq; viros foverunt: & liberalitate suâ ipsorum diligentiam excitárunt & conservárunt: sed alibi * fusiùs de his dixi. Testimonium unum, literas Principum liberis summè colendas esse adducam Caroli IV. qui in aureâ Bullâ * Electorum filios literis & lingvis instructos esse vult: ubi ait post alia: *Quapropter statuimus, ut illustrium principum Electorum filij, vel heredes & successores, cùm verisimiliter Theutonicum idioma sibi naturaliter inditum scire præsumantur, & ab infantiâ didicisse, incipiendo à septimo ætatis suæ anno in Grammatica, Italica & Sclavonica lingvis instruantur &c. cùm illud non solùm utile, imò ex caussis præmissis, summè necessarium habeatur.* Ad summam.

* Vel. II.

* In discursu Politico de literis & Armis.

* c. ult. mihi fol. 41.

mam. Ex libris non solùm Princeps tranquillum Reipub: statum prudenter administrandum discere: sed arma quoque tractare, & armorum jura discere optimè & tutò potest. Sic olim Alfonsus Rex cuidam sapienter respondit. Emblema explicatione fusiore non indiget: per se enim est intellectui obvium. Huc pertinet Agapeti * illud: *Tum demũ Princeps ex commodo Reipub: regnabit, si literatæ sapientiæ operam navaverit.* & Platonis. *Beatam Rempub: in quâ sapientes regerent: aut ij, qui regere incœpissent: omne studium in sapientiâ collocarent.* huic planè convenit cujusdam.

* Aphoris. 17.


*O fortunatos populos, ô regna beata,*
*Quæ tangant summos vertice regna polos:*
*In queis sceptra tenent docti, Reges ve periti,*
*Artibus ingenuis exeruere caput!*
*Ille autem egregias doctus censebitur artes,*
*Quem cura & Sophiæ tangit honestus amor.*
*Quas ut consecteris opes, & nobile lucrum,*
*Submissâ Dominum mente verêre Deum.*
, *Principium Sophiæ, timor & reverentia* JOVÆ *est,*
, *Stultitiæ prima est, temnere causa, Deos.*



# AD ILLUSTREM ET GENEROSUM DOMINUM, DN. NICOLAUM KOCHTICZKY, L. Bar. à Kochticz & Lubliniecz, in Vgesd, Simnowodka & Blumenthal &c: Rev. & Serenifs. Archiducis Austriæ Caroli, Epis. Brixinens. & Vratisl. Consiliarium intimum, supremum Camer. & Episcopatus Vratisl. Capitaneum.

## EMBLEMA XV.

——— RECTO NIL TUTIUS.



*NOrma, Cubus, Liber & Pileus, diversa videntur:*
*Uno in subjecto sed benè conveniunt.*
*Liberiùs, verè, rectè, constanter, apertè,*
*Vox in Consiliis præstet amica fidem.*
*Fraus quoniam poterit vix ulla nocentior esse,*
*Quàm, quæ Consilij subdola vertit opus.*
*Res Regni momenta habeant cùm magna, salubri*
*Consilio, & fidâ Vi Rationis egent.*

UT Corpus humanum ſine animâ & ratione conſiſtere non poteſt; Sic ſine Conſilio Princeps. hoc enim eſt Anima, cujus facultate Reſpub: vivit, movetur, & in ſtatu felici, quoàd illud ſanum, verum, fidum, ſincerum, conſtans, rectumq; fuerit, permanet. Quemadmodum autem Corpori multa accidunt, quæ animæ facultates impediunt: ita & Reſpubl. ſœpè propter Conſiliariorũ non idoneorum, vel idoneorum quidem, ſed privati boni & commodi potiùs, quàm Principis & Reipub: utilitatis ſtudioſorum malitiam, mutationibus multis, & caſibus eſt obnoxia. Principis igitur prudentis erit, tales ſibi adſciſcere Conſiliarios, quorum virtutibus & auctoritate, ſuam quoq; ritè tueri; Rei autem publicæ, & quæ ex uſu ejus conſulenda venerint, utilitatem & commoda in melius promovere poſſit. Hic enim finis omnium conſultationum publicarum eſſe debet. Huc Princeps præcipuè, cum ſuo Concilio, omnes cogitationes, rationes, omnem deniq; curam dirigere debet, quod Claud. monet.

*Claudian.

* *Tu civem patremq; geras, tu conſule cunctis*
*Nec tibi, nec tua te moveant, ſed publica vota.*

Atq; ut gubernatori Navis, is præcipuè Scopus & finis eſt propoſitus, ut Navim ſalvam, quæ multorum merces & bona continet, ad portum deducat: ac tempeſtate ingraveſcente ſuorum bonorum malit jacturam facere, dum modò cum Nave ſalvus ex eâ evadat: Pari ratione mihi videtur, publicum commodum Principi bono eſſe propoſitum, qui privatam utilitatem, ſi cum publicâ pugnet, poſtponit; aut certè debet: dummodò illa ſalva maneat. Huic rei diſquirendæ, ac diligentiùs perſpiciendæ, Conſiliariorum operâ ſœpè indiget: quandoquidem ut.* Tacitus ait, *Princeps ſuâ ſcientiâ non poſſit omnia complecti. nec unius mentẽ eſſe tantæ molis capacem.* Quapropter Conſiliarius ad Principis Conſiliũ admiſſus, in omni conſultatione id ſpectare debet, quod cum honeſtate & Principis Reiq; publicæ commodo, & utilitate ſit conjunctũ. Quibus verò adjumentis Conſiliari⁹ inſtruct⁹ eſſe debeat, ad Conſilium Principis accedens, multi quidẽ perſcripſere multis: Duplicia tamen adjumenta habeat neceſſe eſt: Animi & Corporis.

*Tac 3. Annal.
Id, 1. Annal.

Animi

Animi hæc ſubſequentia XV, quæ breviter *complector, adferat. *1. Rari & excellentis ſit ingenij.* Etenim rarum ingenium, principium, medium, & finis magnarum, & plus, quàm humanarum eſt actionum. *2. Sit Eloquens.* Nam cùm multa Principi ſemper expedienda etiam in exteris regionibus, ut ſvadere & diſſvadere, accuſare aut defendere, boni aut mali aliquid exaggerare verbis rectè ſciat. Domi verò in reſponſionibus dandis ſit promtus. *3. Ut lingvarum cognitionem habeat*, præcipuè illarum gentium, quibus Princeps imperat, quò earum ſermonem intelligere, & ab ipſis intelligi poſſit. *4. Hiſtoriarum lectio in eo requiritur*: præſertim, quæ ad ſui Principis ſpectant majores. Nam qui Conſiliarius, eximius fuerit hiſtoricus, ac eas cum fructu legerit, is perfectiſſimus poteſt æſtimari. *5. Virtutũ finem, & quomodo, quando, quatenusq; ſe extendunt, ſciat.* Caput enim conſilij eſt, ea, quæ in Conſultationem veniunt, diſpicere, ſi ſint honeſta vel turpia, circumſtantijs omnibus conſideratis. Sit inprimis jurisperitus. *6. Sit Politicus.* id eſt, ut ſciat, tàm belli, quàm pacis tempore res, quæ eò ſpectant, tractare. *7. Multas peregrinationes ſuſcipiat.* hæc enim eum prudentiorem & cautiorem reddent. *8. Exactè vires, & potentiam ſui Principis ſciat*, & tàm hoſtium, quàm ſociorum illius, aut etiam vicinorum. *9. Non ſolùm amet, ſed etiam procuret publica commoda*: ut ubicunq; juvare poſſit Rempub:, animi vires, operam & induſtriam ponat. *10. Totum & integrum corpus curet Principatus*: ne curandâ parte unâ, relinquat alteram. *11. Bonus & juſtus ſit. 12. Sit largus & liberalis. 13. Sit beneficus in adjuvandâ Repub: & utilitate communi. 14. Sit manſvetus, & affabilis*: omnes lætâ fronte excipiat: audiat poſtulata attentè, reſpondeat benevolè: *15. Sit fortis, conſtans, verus, liberè absq; metu, quæ recta ſentit, ediſſerat.* Corporis adjumenta lubens omitto: cùm de animi qualitatibus præcipuè hic ago. Atq; ego verbo dico: ſit Vir Bonus, Ethicè & Politicè: quod Emblemate hoc notare volui. * *Vir enim Bonus quadratus dicitur*; quòd nullâ vi everti poſſit; ſed ſibi ipſi ſemper conſtet, ſecum præclarè conſentiat, & quamcunq; in partem volutatus, id eſt, ut res cadent, habeat firmam baſin,

*Ex Frid Furiâ Ceriolani Hiſpanico in lat. verſo à Chriſt. VVarſevicio.


Vide Ideam Conſiliarii interpretante Sim. Schardio I. V. D.

* Gocklen in quæſt. ethic.

(hoc eſt Conſtantiam in rectè factis, dictis, & conſilijs dandis) inſtar Cubi, qui non facilè movetur, ſed ſtat firmus, quocunque modo jaciatur. Non flectatur muneribus, gratiâ, aut potentiâ: ſed rectam habeat rationem, quæ à Centro, vel diametro, vel in hanc, vel illam partem non deflectat, quod perpendiculo deſigno, in triangulari formâ. *Mutare* tamen *interdum Conſilium ſapientis eſt.* Liberam habeat vocem in communicando conſilio, non mercede alienâ, non muneribus revinctam, quod pileolo monſtro, libertatis enim nota eſt. Liber jacet in Cubo, ut quæ in judicando ambigua viderentur, ad Jura & ſcriptas leges recurrat. Addidi Symbolum RECTO NIL TUTIUS, ſc: CONSILIO, ut ſincerè & abſque dolo conſilium ſuggerat. *Gravius* enim *crimen non eſt, quàm dolo rem peragere, de quorum fide præſumebamus.* Et ut *in Principe nil adeò elucere poteſt, quàm recta fides dictorum & factorum.* l. inter claras. C. de Sum. Trinit. Ita Conſiliarium nihil præter cœtera magis commendat, quàm FIDES vel FIDELITAS in dandis Conſilijs, & retinendis; hac enim virtute, ſi munus ſuum obſignaverit, tutam ex parte ſuâ, ſemper Principis Majeſtatem & authoritatem, ſuamque exiſtimationem reddet.

Scal. Actionis bonitas non eſt ex intentione finis, ſed etiã ab interno habitu.

Sirac. cap. 2. *Vir ſapiens, qui operam ſuam denegat Reipubl: & theſaurus abſconditus, cui hæc duo proſunt?*



AD

# AD ILLUSTREM ET GENEROSUM DOMINUM, DN. ADAMUM GODFREDUM BERCKA, L. B. de Duba & Lippa; Dynaſtam in Lautſchin, Teſchen, Hauska, Neo-Berckſtein, Wiediemb & Beezdietz &c:

## EMBLEMA XVI.

### VINDICE VIRTUTE.



*CRimina fœda movent animos perſæpè potentum;*
*Ad pœnam ut ſontes non ſine bile trahant.*
*Debeat offenſas quòd miti aſt pectore Princeps*
*Ferre, in magnanimo ſigna Leone vides.*
*Ungvibus haut furit, hoſte ſibi jam ſupplice facto.*
*Hoc viciſſe ſibi comprobat eſſe ſatis.*
*Nobile vindictæ genus eſt; Ignoſcere victis.*
*Vixq́ue Ducis Virtus altius ire poteſt.*

Macrob. Saturnal, lib, 3.

TEmplum Misericordiæ Athenis fuisse extructum scribitur, in quo plurimorum Principum benignorum statuæ erant repositæ: neq; ulli illud intrare orandi causâ licitum erat, sine Senatus consensu singulari & licentiâ: solis verò misericordibus & clementibus aditus patuit. Athenienses enim, eam in curam incumbebant maximè, ne hostes, aut inimici, vel etiam crudeles appellarentur: quin potiùs Clementiæ laude apud omnes celebrarentur. Quod institutum eorum non possum non vehementer laudare. Nam, cùm in Republ: propter hominum multitudinem vitiorũ & culpas, quæ singulis momentis inter eos affatim augentur, pœnarum quoq; multitudo crescat; quas quidem exequi, ex Justitiæ præscripto Magistratus debet. (*Reipubl: enim interest, ne delicta maneant impunita* t.t.C. de pœnis. *ut pœnâ unius, cœteri à maleficiis deterreantur.* l.1.C. *ad* l. *Jul. repet.* & l. *capitaliũ.* §. *famosos.* ff. *de pœnis.*) Cùm tamen * omnes nati simus peccare & labi, quà privatim, quà publicè: *sanctiùsq; sit nocentem dimittere, quàm innocentẽ condemnare* l. absentem. ff. de pœnis. *meliùsq; sit, propter misericordiã reddere rationem. quàm propter crudelitatem* c. alligat. 26. q. ult. *nec nõ justiùs peccetur in absolvendo, quàm condemnando.* Principis probi erit, non tàm templũ Misericordiæ & Clementiæ ingredi, in eoq; vota sua facere; quàm in penitralib⁹ cordis sui, & sacello pectoris simulachra earundem colere ac venerari. quandoquidem vix ulla virtus, post pietatem & Justitiam, Principes & Magistratus summos magis commendet, atq; CLEMENTIA: secundum * Lipsium, VIRTUS ANIMI à POENA AUT VINDICTA AD LENITATEM CUM JUDICIO INCLINANS. Hæc homini omnium virtutum convenientissima, quia humanissima. Nam cœteræ virtutes, etsi à Principe exerceantur laudabiliter; ad alios tamen fructus principaliter redundant: cùm Princeps non tàm sui; quàm Populi, Reivepublicæ causâ sit à DEO constitutus, vel à populo electus. Alt hæc Principi amorem populi, Securitatem, Firmitatem imperij conciliat, auget, conservat Quotus quisq; enim est, qui, cùm se in leges vel principem peccasse, ac pœnas promeruisse agnoscat: easdemq; sibi remissas videat, eum, qui potestatem adimendi bona, & vitam habuit, sed condonavit, non amet? quem verò amamus, eidem & benevolu-

* l. Lips. 2. Polit. c. 13. ex Thuc,

* lib. 2. Polit. c. 12.

mus: cùm contrà, quem odimus, omninò perditum cupimus. Hæc quoq; Principes & Magistratus (his enim solis Clementia competit) pares DEO facit. Nam cùm sit Clemens & Misericors pater, nec *peccata nostra pœnis statim rependit: nos quoq; tales esse vult & mandat. Quid? quod Imp. ait l. *ultima* C. *de donat. inter vir. & uxor. Nihil tàm peculiare esse Imperialis Maiestatis, quàm humanitas, per quam solam DEI servatur imitatio.* Sola enim hac virtute, ut idem ait: *Princeps DEI benevolentiam, & circa genus humanum nimiam Clementiam* (quantum naturæ humanæ possibile est) *imitatur, qui cottidianis hominum peccatis semper ignoscere dignatur, & pœnitentiam nostram suscipere, & ad meliorem statum eam deducere. Quo fit, ut si Princeps circa subjectos imperio facere hoc nolit, nullâ veniâ dignus esse videatur.* l. *imperialis* 23. C. *de Nupt.* 5. Cũq; Imperiũ nihil sit aliud, quã cura salutis alienæ: Boni profectò Principis erit, suam potestatẽ restringere, cupiditati, atq; iræ suæ, quantâ maximâ vi resistere; neq; omnia ad vivũ resecare: ne, dum salutem Reipubl: per crebras pœnarũ irrogationes quærat: nimiâ severitate, multorum in se derivet odia, imò mortem sibi accersat ultrò. Sed si quædam levia fuerint, aut quæ sanari poterint, relinquenda & curanda Clementiâ & lenitate. Raró enim succedit feliciter victoria, quæ Crudelitatem habet Ducem. &, ut Cæsar ille Dictator ajebat: *Miserum instrumentũ senectuti esse recordationem Crudelitatis.* Crudelitas enim non tàm auctoritatem, (quod quidã tamen existimant) quàm odium, & inimicorum numerum auget. Nam, ut *Seneca inquit: *Ut arbores quædam recisæ pullulant; ita regia Crudelitas, auget inimicorum numerum tollendo.* Terror autem & metus, infirma vincula sunt charitatis: quæ ubi removeris, qui timere desierint, odisse incipiunt. Maximè autem ijs Clementia est exercenda, qui nova regna sibi subjecerunt: ne Imperia à Severitate & Crudelitate auspicentur. *Pœnæ enim timor desperationem, desperatio omne impium svadet & sceleratum.* Sic Galba, etsi Tiberio probior fuit; sed quia statim Imperium sangvine facinorosum hominum incœpit vel adijt, mediâ luce manifestis armis, à suis militibus interfectus est. Si *Demetrius Moschovitarum Dux, leniùs cum suâ gente barbarâ, in aditu Imperij egisset; dubio procul superstes adhuc esset. Diocletianus Imp: Clementiam dotem potissimam Principis cum Libertate agnovit. Hanc Seneca, *Magnum*

* Psal. 103.

* l. de Clem. l. Lips. 2. polit. c. 13. ex Tacit.

Scip. Amirat. dissert. polit. lib. 1. discurs. 8.

* Occisus in suis nuptiis Anno 1606. in Metropoli Moschoviæ Mosk[illegible]

*timoris remediũ eſſe dixit.* Impp. Reges & Principes plurimi magnâ cũ laude ſuâ exercuere. Ludovici XII Galliæ Regis Clementia inſignis fuit, qui injurias privato ſibi allatas, regnũ adept⁹, ulciſci noluit, dictitans, parũ decorũ eſſe Regi Galliæ, injurias illatas Aureliorũ Duci ulciſci. Idem Lugduni depræhenſus ab aulicis duobus vivo CAROLO, & antequã noſceretur, vexat⁹ multis verborũ contumelijs, cùm illi conturbati, Carolo mortuo, abijſſent, abſentes ſuâ ſponte revocavit, priſtinæq; dignitati reſtituit. exuiſſe ſe perſonam Aureliorum ducis ajens: proinde Regi nihil hæc eſſe curæ. Quòd autẽ homines Clementiã & humanitatem erga ſe invicem exercere debeant, cùm rationibus multis probari poteſt, tùm exemplo animalium brutorum docentur. Leonis, * Plin. ſcribit, tantùm ex feris Clementia in ſupplices proſtratis parcit. de quo * Ovid.

*lib. 8. c. 16. nat. hiſt.
*4. triſt. eleg. 5.

*Quò quiſq; eſt major, magis eſt placabilis iræ,*
*Et faciles motus mens generoſa capit.*
*Corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſſe Leoni,*
*Pugna ſuum finem, cum jacet hoſtis, habet.*
*At lupus, & turpes inſtant morientibus urſi,*
*Et quæcunq; minor Nobilitate fera eſt.*

Emblemate igitur hoc per Leonẽ, pede canẽ ſupplicẽ leviter prementẽ, Principũ Clementiã intelligi volo. Leo enim magnanimitatis & Principis nota eſt, de quo plura in Hieroglyphicis Iohan. Pierij lib. 1. Hierogl. ut & Canis amicitiæ ſignũ eſt; quod ſic interpretor: nõ ſolũ hoſtibus & inimicis victis ignoſcendũ eſſe: ſed etiã amicis, qui ex fidei, quæ in amicitiâ requiritur, libertate interdum peccare ſolent. Symbolũ verò additũ, VINDICE VIRTUTE, ſatis oſtendit, quomodo, & quatenus vindicta exercenda. Virtus enim ubi prævia fuerit in injurijs vindicandis, mens generoſa extra ſuũ genus non faciet quicquã. *Illud*, enim, *eſt demũ magni animi, parvis nõ commoveri: & cùm nocere poſſis, ignoſcere.* Huc pertinet illud:

*Prov. 20.
* *Miſericordia & Veritas cuſtodiunt Regem & roboratur Clementiâ thronus ejus.* Claud. —— *ignoſcere pulchrum*
*Jam miſero, pœnæq; genus vidiſſe precantem.* *Africanus.

*Caſman. in Syſtemate vitæ Politicæ.
Sive viribus quis polleat, ſive genere & maiorum claritudine omnes homines antevenia, ſive deniq; fortunâ ipſum Alexandrum M. exuperet, atq; Aſiæ Imperio Africam, & his Europam coniungat: felicem tamen hunc negabo eſſe, niſi egregia animi moderatione in rebus omnibus utatur. Dio lib 55. Plus Clementia, quàm ſævitia proficit: nec tantum charos habent magiſtratus, ac gratiam ſtudent referre, quibus delicti facta gratia eſt; ſed reliqui etiam omnes reverentur & colunt.

# AD ILLUSTREM ET GENEROSUM DOMINUM, DN. JAN-BERNHARDUM MALTZAN. L.B. â Wartembergk & Penczelin, in Militſch & Freyhan, &c.

## EMBLEMA XVII.

NON SIC OLIM.



*UT facilè eſt catulum compeſcere fune Leonis,*
*Impatiens cujus pòſt tamen ungve furit.*
*Sic quoq; Principibus teneris præcepta ſub annis*
*Suggerere, ut vitæ frena tenere ſciant:*
*Non opus eſt magnum. at matura ubi venerit ætas,*
*Illos de vitiis ſi monuiſſe velis:*
*R s, crede eſt ſemper magnis objecta periclis.*
*Hîc labor, ut prudens aggrediaris opus.*

QUi Principum liberos in doctrinis & moribus instituunt, tantò plus Reipubl. conferunt commodi: quantò magis eadem illos probè educatos desiderat. Nam qui privatorum liberos erudiunt, uni tantùm familiæ, vix Civitati prosunt: qui Principum; universæ Reipublicæ. Quemadmodum autem in extruendis mœnibus, vallis, muris, arcibus civitatum plus artis, operæ & laboris impendere necesse est: ut civium domus, facultates, atq; adeò totius Universitatis & populi bona, salva ab incursu hostium, & vi qualibet tuta esse, ac defendi possint: Non secus Reipub: interest, Principem benè moratum; pietate & literis eruditum; sic tamen doctum esse: ut animum à curâ publicâ, ad inutilem contemplatiionem, (quod privati hominis est) non avocet: quin potius, ut eruditione suâ Reipub: consulat; eique studia ornamento ac jucunditati, Reipubl: verò usui esse possint. Cumque in bono Principe salus subditorum consistat; quis eum talem necessariò fieri debere negaverit, qualem communis omnium necessitas & vota requirunt? id est pium, prudentem, temperantem, fortem, & justum: quem si Natura & Institutio hisce præditum virtutibus effinxerit; quid quæso Reipublicæ accidere majus? quid votis exoptari felicius poterit? Nam cùm ita in vitâ communi fieri videmus, ut privatis in ædibus, uxor ad mariti voluntatem & mores; liberi ad parentum nutum; servi ad dominorum arbitriũ, vitam & actiones suas instituere soleant: Principũ autẽ mores Populus imitetur: qui exemplo longè efficatiùs urgent, quàm legum aut pœnarum metu: quotusquisq; est, qui non videat, summam necessitatem in Principibus rectè educandis, & prudenter instituendis? Institutio pendet vel à parentibus: vel ab ijs, quos parentes dignos, liberis suis præficiendos censent & eligunt. Illi, cùm propter molem negociorum, & insitum erga liberos amorem institutioni vacare non possunt: dignos huic officio substituere debent: quorum virtutes liberi generosi, tanquam in speculo assiduè intuentes, actionibus effingere discant. Fixum enim id hæret in animis tenellis, imò per omnem vitam tenaciùs memoriâ servatur, quæ quis in ætate primâ, vidit, audivit, legit, didicit, observavit; sive ea honesta, sive turpia fuerint. Cùm

autem

autem ipsi Principes vitia concipiunt: solent ea quoq; in Civitatem infundere: & non tantum ipsi corrumpuntur: sed etiam corrumpunt & inquinant subditos. Contrà verò Principes boni vitâ suâ inculpatâ, & exemplo laudabili, mores subditorum pravos emendant. Naturâ enim sic inter homines comparatum est; ut superiores non solùm vereamur: sed quò arctior necessitudo; tantò major metus, reverentia & honor existat, & inde oriatur. Quocirca parentes generosos eam in curam incumbere maximè decet; ut liberis suis tales eligant Præceptores, morumq; magistros; qui minimis vitijs, pluribus sint præditi virtutibus: præcipuè autem qui sint pij, honesti tàm quò ad vitam, quàm quò ad Conscientiam: graves ætate, & aspectu: veraces & candidi in verbis & actionibus: generoso animo præditi: liberales, sed juxta modum: modesti in sermonibus: ut de rebus quibusvis liberè disserant: prudentes, cauti, mansveti; docti & eruditi non tantùm in profanis, sed etiam in sacris literis: casti, benigni, & quos utraq; fortuna in suis castris exercuit; ut eis res lætas & adversas ob oculos ponere; & varios humanæ vitæ & miseriæ casus ac eventus demonstrare sciant: utque ab his virtutes istas, liberi generosi statim imbibant, quas olim vitâ, & reipsâ sint expressuri & exercitaturi. Fit tamen sæpissimè, ut Principum liberi in primâ ætate optimè à suis magistri & doctoribus ad Rempublicam gubernandam instruantur: sintq; ad omne virtutum genus capessendum tractabiles, & quasi cerei: sui verò postea juris facti, rigidescant: ijsq; pessimam mercedem pro fideli institutione reponant: exemplo est Nero & alij; nec facilè, adultiores facti, patiuntur se corripi vel moneri. Verumenimverò & Prudentia monitoribus uti hac in re, & tempore ac occasione maximè opus est: utq; modus servetur. Id quod Emblemate hoc demonstrare volui. Nec enim eâ ratione Leonem adultum compescas fune vel bacillo, cùm facilè in iram exardescat; quàm cùm esset catulus: Ita neq; Principem jam sui juris factum, & ætate graviorem tutò de vitijs moneas, eumq; corripias. Prexaspes filium perdidit propter monitionem & veritatem. Perijt Apollodorus architectus celeberrimus, Adriani Imperatoris jussu: perierunt

Junge Hertzen / junge Bären

Camer. oper. succis. c. 90.

Vide Conrad. Heresbach. Icti de educandis erudiendisq; lp. liberis.

perierunt alij. Quisquis igitur tam generoſam indolem Principum, futuræ meſſi optatam, in Republicâ colere debet: caveat ne privatorum more, inſtrumenta culturæ adhibeat: ſemperque rore prudentiæ herbam iſtam generoſam aſpergat: ut fructus dulciſſimi matureſcant, & lætâ carpantur manu. Cogitet autem ſedulò, non ſi nunc tutò corripere licet, & olim idem licere! quanquam laudabilis monitio fuit Ludovici ſancti Regis Galliæ, qui filium ſucceſſorem his admonuit verbis: * *Ita te gerito, ut Conſeſſarij, neceſſarijq; & familiares tui poſſint te liberè admonere mali, quod feceris, & docere facta tua*: metuo tamen, ut omnes admonere ſciant, ut placidis auribus admonitiones recipiantur: talesque videant, quod Seneca * ait, *ne pluris remedium, quàm periculum conſtet.*

* Tilius lib 2. de reb. Galliæ & Cam. ut 5.

* Epiſt, 106.




AD

# AD ILLUSTREM ET GENEROSUM DOMINUM, DN. JAN-GEORGIUM CZIGAN, L.B. â Slupska, in Freiſtadt, Sawada, & Dobroslawicz, &c.

## EMBLEMA XVIII.

### INTEGRITATE.



*MOnte ſuper celſo poſitorum Inſignium, utrinq;*
*Clara repræſentant effigiem ſpecula.*
*Supra hominum ſortem Princeps evecte, latére*
*Non potes, obſervet quin tua facta* DEUS.
*Quin ſubjecta notet Plebs. prudens ergò cavebis,*
*Vitam ne maculent turpia facta tuam.*
*Integritas, vitæ, & recti mens Conſcia; cœlo*
*Pondus habet, terris præmia certa capit.*

INtegritate vitæ, & bonâ Conſcientiâ, homini nullum firmius præſidium, & majus bonum accidere poteſt. Nam cùm homo naturâ ad vitia magis ſit proclivis, quàm ad Virtutes, & ex conſuetudine malorũ tantus ei cumulus vitiorũ adcreſcat, ut ijs expurgandis, aut expugnandis, ipſum vitæ tempus nõ ſufficiat, niſi maturè virtutũ præceptis imbuatur, ijsq; ſeſe exercendo paulatim pravitati ſe ſubtrahat, fit, ut, qui minimis vitijs animũ & corpus contaminavit, ſecurior ſit, & honeſtarum actionum fiduciâ nitens, ac ſeſe erigens, lætior ſemper tàm internè quòad animum, quàm externè, appareat. Hinc, ut quiſque vitam agit vel bonam, vel malam; ita Conſcientiæ quoque ſentit ſtimulos: qui ex pravis actionibus orti, Carnificis inſtar, & eo pejores exiſtunt: qui noctes diesque hominem pungunt acriter. Sed quis adeò felix unquam fuit & beatus, in hac perversâ colluvie hominum, qui cum eis converſando, nihil vitiorum attraxerit? atq; ut flumina ſordes & alia excrementa ſemper ſecum vehunt: ita vita communis vitia.
„ Difficile eſt igitur cuivis vitam abſque culpâ tranſigere, ut non
„ offendas, aut labaris. Difficilius verò ijs, qui in faſtigio rerum poſiti, omnia non ad voluntatem & voluptatem: ſed & laſciviam metiuntur: quibus cuncta ex voto, & ad nutum confluunt: qui neminem agnoſcunt aut habent, qui dicat, Cur ſic facis? Verumenimvero, quantò difficilius eſt, animum à cupiditatibus vacuum gerere; corpusque & mentem à criminibus non temeratam habere; tantò laudabilior eſt eorum vita, qui populo expoſiti, tanquam ſpeculum puriſſimum & nitidiſſimum, in quo ſua vitia cernere, agnoſcere & corrigere poſſint, ſuis cupiditatibus, potentiæ, & licentiæ terminos, ac certos fines ponere ſciunt: eosq; tranſgredi ſummum nefas & dedecus ducunt: puramque vitam agentes, in omnibus actionibus ſinceritatem, & conſcientiæ tranquillitatem ſectantur. Cumq; omnes ad legem hanc obſervandam vocentur: tùm maximè ij, quos DEUS populi Magiſtros & Cuſtodes inſtituit, eadem obſtringuntur. Primus autem gradus eſt Integritatis, ut ſe quisque noſcat, vel Oraculi teſtimonio, non dico Corpus ſuum, ſed animum. Deinde, ſi quas maculas, aut nævos in eo animadverterit, ut eos vitæ actionibus honeſtis eluere

conetur:

conetur: ſic ſpeculum purum ad videndum DEUM intra ſe habebit, quod eſt *animus ſe ipſum cernens.* Ac veluti ſpecula, quæ vel pulveribus obſita, vel propter materiæ impuræ denſitatem, minùs pellucida ſunt, hominis effigiem, vel rei cujuſpiam ſpeciem non benè repræſentant: contrà verò in puriſſimis, minimas quaſque in facie maculas, vel res apparere videmus: Non ſecus & Principum vita, (cùm ſit cenſura populi) ſi virtutibus, quæ maximè regias perſonas decent, exornata & conſpicua fuerit: Populus quod in eâ repræhendat, non modò non habebit; ſed ſuam quiſque ad Principis, ſtudiosè componere ac conformare adnitetur. Atque Princeps ſic ſe cottidiè intra ſe contemplando, memor & dignitatis ſuæ, & fragilitatis humanæ, nec non Reipub:, ac ſubditorum ſtatus & conditionis, præſertim eius, cujus vicem ſuſtinet; nil ſuâ ſublimi Majeſtate, nihil authoritate indignum patrabit. Titi Veſpaſiani vox Integritatem ſapit. Is enim, cùm aliquando audiret, ſibi quempiam maledixiſſe; æquo animo hoc ferens & contemnens: *Ego,* inquit, *cùm nihil faciam dignum maledicto, ſanè maledictum hoc, tanquam maledictum parvifacio.* Auguſtini ſententia elegans huc quadrat. *Neq; ſanctior es, ſi laudaris; neq; deterior ſi vituperaris. Id ipſum es, quod es, neq; major dici potes, quàm, quantus DEI judicio es. Si attendes quid intus in animo ſis, non curabis, quid de te foris loquantur homines. Bonorum gloria in ipſorum conſcientia, non in hominum ore ſita eſt.* Et Seneca: *Si crederem DEOS ignoſcituros, & homines ignoraturos, adhuc peccare dedignarer.* Et * alibi. *Quid eſt beata vita? Securitas, & perpetua tranquillitas, hanc dabit animi magnitudo, dabit conſtantia, benè judicati tenax.* Et * alibi: *Conſcientiam ſuam Dijs homo aperire debet, ſemperq; tanquam in publico vivere, ſe magis veritus, quàm alios.* Claud: ad Honor. Imp.

* Epiſt. lib. 14. ep. 93.

* Id. 7. de benef. 1.

*Hîc te præterea crebro ſermone monebo,*
*Ut te totius medio telluris in orbe*
*Vivere cognoſcas: cunctis tua gentibus eſſe*
*Facta palam, nec poſſe dari regalibus unquam*
*Secretum vitiis.*

Emblematis

Emblematis autem ratio hæc eſt, quod quemadmodum ea, quæ in montibus, aut editiore loco exiſtunt, longè ſunt conſpectiora; utq; ſpecula eum in finem ſunt inventa & uſurpentur, ut faciei maculas in ijs cernere queamus: Ita ſceptrum coronâ cinctum Principem intelligo, in monte poſitum, id eſt, quòd eum DEUS OPT. MAX. eminentiore & ſupra hominum ſortem altiore honorum in faſtigio collocavit, ut omnibus in conſpectu eſſet: qui certè minùs facta ſua, licet interdum homines ea non cognoſcant, coram DEO abſcondere poteſt, ac mons vel turris, aliave res quæpiam ſublimis occultari. *Aſpiciunt* (enim) *oculis ſuperi mortalia juſtis.*
*17. ver. 16, 17. Et ut * Sirac. ait: *Omnia opera hominum, ſunt tanquam ſol coram illo, & oculi illius aſſiduè intuentur vias ipſorum. Non fuerunt occulta ab eo injuſta ipſorum facta, ſed omnia peccata ipſorum expoſita fuerunt domino.* Nulla igitur via compendioſior ad vitam integrè peragendam, quàm vitijs non fœdari, ex quibus conſcientiæ morſus. Tuta autem ibi Conſcientia, ubi pura vita: ac licet hæc lex ſit omnibus poſita, Benè vivere! Principem tamen maximè obligat: ut pote, quod ſubditi in ejus vitâ, tanquam ſpeculo
*ep. 84. ſuam videant Eleganter * Seneca: *Sic vivendum eſt, tanquam in conſpectu vivamus: ſic cogitandum, tanquam aliquis in pectus*
*Id. 1. Controv. 2. *intimum inſpicere poſſit, & poteſt.* Et * alibi: *Aliter Deorum numini ſubjecta uniuscujuſq; conſcientia, aliter noſtræ æſtimationi. Nos tantùm, quæ feciſti, palam vidimus, illi etiam quæ ſecreta ſunt.* Apoſt. ad Tit. 2. Per omnia te præbe exemplar bonorum operum. Ad ſummam: Princeps

*Edo Neuh. in ſcheda Agapet.


** Si ſapis ô vetitos cave delabaris in actus,*
*Perfrictâq; palam fronte litare malis.*
*Corrumpunt vulgus pejora exempla regentum,*
*Perſvadent mores, non fera juſſa, ducum.*
*Namq; ſumus dociles imitandis turpibus omnes,*
*Grex Regis ſequitur prævia facta ſui.*
*Innumeris etiam tibi ſis pro teſtibus ipſe:*
*Utq; foris probus es, ſic probus eſto domi*
*Ecce Deus celsâ arce ſedens, vigili omnia viſu,*
*Et quæ tu tenebris rere ſepulta, legit.*

AD

# AD ILLUSTREM ET GENEROSUM JUVENEM, DN. ANDREAM KOCHTICZKY JUNIOREM. L. B. à Kochticz & Lubliniecz, in Koſſentin &c.

## EMBLEMA. XIX.

ALIUD ARTIS.



*LAnguida Virtutum ſunt ſemina: quæ niſi docta*
*Ars juvet, in vitium degenerare ſolent.*
*Arbor nî mollis primis flectatur ab annis,*
*Curva fit, & fructus fert malè culta malos.*
*Cautè ætas Regum ducatur prima per artes;*
*Diſcere quas regni pro Utilitate decet:*
*Semina Naturæ capiant ut robur ab arte:*
*Et fructus dignos Mens generoſa ferat.*

QUanquam Naturæ magnam vim esse in animantibus, plantis, herbis, & rebus alijs nemo unquam sapientum negaverit: Artem tamen naturam ipsam sæpenumerò, si non omninò immutare: saltem corrigere, exemplis & rationibus evidentissimis demonstrari potest. Videmus ferocissimos Leones, Pantheras, Ursos, equos, apros, & id genus animalia, arte quadam & consvetudine mansvefieri, feritatemque innatam quodammodo exuere. Videmus arbores silvestres, si telluri frugiferæ inserantur, fructus dulciores ferre. Videmus frumenta quædam, genus suum, (quod soli ratione, & qualitate, cui mandantur, fit,) quasi deserere, atque in aliud mutari. Quòd si id in talibus rebus; saltem naturæ beneficio accidat; quis ex hominibus agrestibus, civiles: quis ex immanibus, mansvetos; ex bonis meliores, ex his optimos fieri non posse dubitabit? si maturè præceptis virtutum imbuantur; si bonorum familiaritate & consvetudine utantur: si tandem præclaris virtutum actionibus crebrò exerceantur? Verissimum enim est, quod Ovid. canit.

*—— didicisse fideliter artes*
*Emollit mores, nec sinit esse feros!*

* Plin. in Paneg. * *Cumq; in Principe bono, genus omne hominum lætetur:* (quem cùm bonum appello, virtutibus, quæ Principem decent, imbutum, & ornatum intelligo:) * Id ibid. * *Reique publicæ Felicitas esse non possit, absq; boni Principis felicitate, neq; hujus beatitudo, absq; Reipublicæ commodo & beatitudine stabilis unquam erit*: hæcque mutuo nexu inter se colligentur: quotusquisque est, qui Principem à primis statim annis, Pietati, Prudentiæ, Fortitudini, Temperantiæ, &c: alijsque virtutibus, nec non artibus, verè Principe dignis assvefaciendum ac imbuendum non censeat? quarum scilicet adminiculo Beatitudinem & Felicitatem illam consequi possit! Quò autem plùs momenti in ejus officio & salutari gubernatione positum est; cùm in eo Reipublicæ summa salus sit constituta: cumque eadem debeat ipse tueri virtutis officia, quæ alij: ut cum privatim bonus esse didicerit, publicè possit esse commodior: eò majori curâ & diligentiâ ætas ejus puerilis (â cujus rectâ formatione

tione & institutione, totius vitæ ratio pendet) instituenda & regenda: ut, cùm ad justam gubernandi ætatem pervenerit: ipse per se vitæ suæ cursum, & Majestatem regiam moderari, Reipublicæque salutaris Princeps existere queat. Quantos verò fructus recta educatio, & morum disciplina ferat; quamque sit Principibus necessaria; Philipus Rex Macedonum docuit: qui non tantoperè de filio Alexandro nato lætatus fuit: quàm, quòd Aristotelem, idoneum filio suo Informatorem nactus esset. Docuit idem Mamæa, illa prudentissima Aurelij Alexandri Severi Rom. Imp. mater; quæ eum adeò liberaliter, regiè, & prudenter institui curavit; ut, cùm puer in Imperatorem esset electus; ad gubernandam verò Rempub: per ætatem inhabilis: nullum improbum, ad ejus colloquium admittere voluit; ne conversatione malorum, mores ejus probi inquinarentur. Judicavit nempè fœmina prudens, "Vitia Regum longè periculosiora esse regni inimicis: quoniam hi "bello profligari aut occidi, ne noceant, possunt: Vitia verò, per "omnem vitam in hominem dominari: cumque hostes regiones & urbes tantùm depopulentur: Principem vitijs imbutum, bonos mores Reipubl:, imò ipsũ regnũ pessundare quis nõ videat? Nec satis est, ut in Heroicis & generosis naturis acres ad Virtutem sint impetus: nisi quoq; doctrinâ regantur; ac virtutum exercitijs firmentur & augeantur. Prima igitur sit cura Principũ, ut suos generosos liberos, Reipubl: olim gubernandæ futuros successores, non in delicijs, non in ocio, non lasciviâ educandos curent: delicata enim vita molles; ocium lascivos, lascivia turpes alumnos habet. * *Removeantur à servulorum, clientum leviumq; mulierum consortio, colloquiis pravis, & turpibus spectaculis, aut inhonestis picturis, à mendacio & simulatione, à petulantiâ demum: propterea, quòd his de causis, vitiorum semina quædam eorum animis inseruntur, quæ adulta, postea in gravissima scelera, & insanabiles animi morbos abeunt. &c:* Laude æternâ digna mihi videtur vox SIGISMUNDI I. REGIS POLON. qui quoties de suâ & fratrum educatione loquebatur, omnes qui sermoni ejus intererant, in admirationem rapiebat. * *Fuimus*, inquiebat, *aliquot simul fratres, vivente*

Huc facit Quintil. lib. 12. c. 12. Plutarch. de lib. educ.

* Autor de Regni Regisq; institutione, discursibus Scip. Amirati additus lib. 1:

* Christoph. Varsevicius de

optimo statu libertatis lib. 1. mihi fol. 65.

*vivente adhuc patre, Longini traditi institutioni, agninis hyberno tempore quotidie, non nisi autem diebus festis vulpinis induebamur pellibus; cibis continuè vescebamur haut ita delicatioribus; vini nullus nobis concedebatur usus; lectus non mollis, nec nisi cum optimis consvetudo nostra erat perennis: in sole & pulvere licebat nobis luctari, & ad labores subeundos, oportebat nos assuefieri pedetentim, sic quales simus aut fuerimus, posteri rectiùs judicabunt.* Hæc ille. Quis hodiè vel mediocriter opulentorum civium talem disciplinam sufferat? Hoc itaque Emblemate demonstrare volui: Naturæ quidem vim in rebus omnibus potentem esse: præsertim in homine, tàm quò ad Virtutem, quàm vitium: eam tamen plurimùm juvari; si in tenerâ ætate homines, atque adeò Principes (sic enim secundum subjectam materiam hominem intelligo) virtutum præceptis imbuantur, eaq; in actiones deducant. Per equum autem hieroglyphicè Generositatem animi, & Imperium denotari scribit *Joan. Pierius. in quo licet sit, ut Horat. loquitur, patrum virtus, id est, semina & fomites virtutum: nisi tamen, qualitas illa naturæ generosa, quam Poëta virtutem appellat, arte juvetur; atque ille maturè ad flexus variandos in prælijs utiles, ad sistendum cursum, eumque continuandum, assvefactus fuerit; facilè vis illa generosa naturæ in illo langvescet: ut non immeritò dixerim: aliud esse naturæ: aliud artis opus. cui Horat. astipulatur.

*Hieroglyph. lib. 4.

*Doctrina vim promovet insitam,*
*Rectiq; cultus pectora roborant.*



AD

# AD NOBILEM ET STRENUUM VIRUM, DN. HARTWIG. à STITTEN, in Pomersſwitz &c. Conſiliarium Brandenburg. & Ducatus Carnovienſis Capitaneum.

## EMBLEMA. XX.

### SERÒ NON FRUSTRA.



*AFfundunt oleum, queis luce eſt lampadis uſus,*
*Extingvi noctu nec patiuntur eam.*
*Nemo adeò felix, quem non ſors dura fatiget:*
*Nemo adeò prudens, quem haut malus errore agat.*
*Ergò maturè fidos conquirat amicos,*
*Quorum in re dubiâ Dux jüvetur ope.*
*Sed ne deficiant, re, & blandâ mente fovendi.*
SERÒ, NON FRUSTRA, *qui ſapit, ille ſapit.*

NEmo ſibi ſatis eſt, eget omnis amicus, amico. Id quod in vitâ communi ſatis ſuperq; experientia teſtatur: maximè verò in Repub: id videre eſt, quæ tot Argos, & Geryones Centimanos, propter diffuſam molem, & negociorum expediendorum varietatem & multitudinem, requirere videtur. Quî enim Princeps, omnia perſpicere, audire, quæq; ex re tot populorum eſſe poſſint, perficere ſolus poteſt? cui Natura non plus, ac cœteris hominibus largita eſt, videlicet Rationem & Orationem, ſenſus, & reliqua. Quippe, quòd habeat hoc commune cum alijs hominibus, ut poſſit errare & decipi. Ideò ſapientum in commercio eſſe, & in partem curarum prudentes adſumere debet: talesque ſibi parare amicos, quorum perſpectæ fidei, ſe, ſuique regni adminiſtrationem ex parte tutò concredere poſſit: qui ſcilicet & pericula prævidere, eaq; avertere prudenter: &, ſi erraverit, benignè ad viam rectam ſe reducere ſciant. Nam, ut magnum quiddam eſt, Principibus placuiſſe viris ob merita & virtutes, perſpectamq; in rebus agendis fidem: Ita non minùs laudabile in Principe bono cenſetur eſſe: cùm in rebus agendis, & negotijs Reipub: tractandis amicorum operâ, & conſilio utatur, eosq; ſui Honoris, & quaſi Corporis partem eſſe permittat. *Non exercitus*, ait Saluſtius, *neq; theſauri, præſidia regni ſunt, ſed amici.* Alexander interrogatus, ubi theſauros aſſervaret, apud amicos, reſpondit; Benevolentiam enim & ſui æris, & alieni Dominam eſſe putavit. Cyrus moriturus ad filium Cambyſen, inquit: *Sit hoc jam tibi Cambyſe, à principio perſvaſum: regni præſidium firmiſſimum eſſe, non aureum ſceptrum: ſed amicos quos neq; armis cogere, neq; auro parare queas: Sed fide & beneficio parantur. Neq; enim amici ſuâ ſponte naſcuntur, ut ſtirpes è terrâ; ſed ſuavitate humanitatis conciliandi, atq; in officio retinendi ſunt. Ac ſi voles tibi cuſtodes regni adjungere, quorum fides perſpecta ſit: non ab alienis hominibus, ſed à cognatis initium ſumito. &c:* Quemadmodum autem temeritas quædam eſt, quoſvis in amicitiam aſſumere: ita è contrario ſummæ prudentiæ eſt Principis, tales eligere, qui digni ſint amicitiâ: quos non facilè rejiciat, aut contemnat: quin potiùs eorum ſpectatâ

fide,

fide, suâ benivolentiâ sibi conservet integros. Atque hîc operæ precium duxi monitiones paucas ex F. Furij Ceriolæ * libro adscribere, ex quibus Princeps videre poterit, quàm cautus esse debeat, in eligendis amicis, quos Consiliarios appello. *Certum* enim *est, primum & præcipuum judicium de Principibus, eorumq; virtutibus ab amicis proficisci:* qui si idonei & sapientes fuerint, procul dubio & Princeps ipse, habebitur sapiens. I. Prima itaque sit, ut sibi fideles & sinceros reddat. Rivulis enim infectis, tota aqua corrumpitur. II. Cogitet se maximè egere tali consiliario, vel amico, ut audire possit, & admittere apud se veritatem. *Veritas* enim *adulatorum mendaciis pressa, rarò ad Principum aures pervenit.* III. Eligat ex sibi subjectis ditionibus, ne infestos sibi populos reddat, cùm neminem ex suâ gente Consiliariorum apud Principem habuerint, aut viderint. Non externos, quia ab his turbæ: non sunt periti status Reipubl: regionum, hominum, morum. Adde, quòd rara fides exterorum, quisque in suos pronus, eorumq; amans. Judicium tamen sit penes Principem, qui ex usu & commodo suo etiam externos admittere potest. IV. Nobiles plebeijs præferat: *quò* enim *quisq; genere clarior: ita animum ad res præclarè agendas ad Remp: adferre solet.* reliquis tamen viam ad Virtutem exerendam; & propter hanc, emergendi facultatem non præcludat. V. Non sit præceps, aut celer in assumendis. VI. Et assumtis, non facilè de omnibus relatis credat. *Fallere enim & falli possumus.* VII. Examen instituatur, si dignus, vel secus. VIII. Facto examine, eum publicè propter virtutem & merita electum pronunciet. IX. Tandem ab eo juramentum exigat, in quo, se bonum & fidelem Consiliarium futurum, promittat. &c: Sed quoniam, *qui Consilium dat, præstare fidem, non eventum debet.* quandoquidem hoc casus aliquis facillimè subvertere possit: Non inconveniens hujus loci quæstio est: An & quatenus quis ex suo consilio obligetur? *Non fraudulenti* quidem *consilij, nulla est obligatio.* l. consilij 48. ff. de R. J. l. 2. §. fin. ff. mandati. c. nullus ex consilio. de R. J. in Sexto. Nam cùm eventus dati consilij non respondet propter varias circumstantias, quæ tùm accidunt:

* de quo in super. Embl. expl. de Consilio & Consiliario ex Hispan. versione.

Hippol. à Coll. lib. in R I. & Hierem. Setser. in disp. Instit. Iur.

dantem

dantem propterea non obligat, præſertim ſi bonâ fide dedit: cùm contingere poſſit, ut benè conſulta, caſus aliquis ſuperveniens immutet, aut culpa conſilium accipientis pervertat. l. *ſi quis affirmaverit* §. 1. *ff. de dolo*. Is quoque, qui accipit explorare debet, an ipſi expediat. Sed ſi ſuper tali actu conſilium fuerit datum, accepto munere, qui à jure eſt prohibitus, aut in perniciam Reipub: manifeſtè tendat, illud obligat. ut probat *Menoch*. 2. *de arbitr. jud. qq. cent*. 4. *caſ*. 351. Quare & Princeps ipſe expendat conſilia data neceſſe eſt: aut certè tales conquirat amicos, qui eventus conſiliorum & rerum, ex collatione ſimilium, quæ acciderunt, ſagaciter perquirere poſſint. Talium quoque Fidem ſuâ benevolentiâ conſervet, eosque magnifaciat. * Fecit id Alexander, qui Hephæſtionem omnium amicorum chariſſimum, imò fratris loco habitum, ſecretorum ſuorum arbitrum, ſuo nomine à Syſigambe appellari paſſus eſt. hic quoque libertatem in Rege admonendo, non alius Jus habebat. Inde ex præcedentibus, Emblematis hujus demonſtratio facilis. per Columnam enim cui lampas extincta adhæret, Rempubl: intelligi volo, quæ amicis caret fidelibus. Lampas enim noctu ſaltem, aut obſcuris in locis uſurpatur. Idem uſus conſilij in gravibus & perplexis rebus. Vir autem eam accendens, Principem ſignat, qui neceſſitate quadam impulſus, oleum, ut luceat, infundit. Id ego benevolentiam & munificentiam Principis interpretor, quâ tales amici maximè, eorumque fides aliquâ ex parte fovenda. Inſcriptio verò ſerò non fruſtra, docet: Amicos maturè conquirendos, quos licet ſerò pares, non tamen fruſtrà: cùm omnibus temporibus ijſdem egeamus.


* Curt. lib. 3.

AD

# AD NOB. ET EXCELLENTISS. VIRUM DN. LAURENTIUM FREITAG in Michelwicz & Sapraſchin, J. U. D. & Illuſt. Ducum Monſterberg. Conſiliarium.

## EMBLEMA. XXI.

SECURA PERICLI.



*NOſcere magnatum ſi quando arcana voceris:*
*Fac teneas linguæ lubrica frena tuæ.*
*Non ea divulges & vino tortus, & ira:*
*Ne ſubeas pœnam lubricitate gravem.*
*Vulganda evulga, ſed cum ratione: tegasq;*
*Quæ tempus, ratio & cauſa, tegenda jubet.*
*Res quævis benè clauſa, manet* SECURA PERICLI.
*Lingua tacens, meriti præmia tuta capit.*

QUantum bonum, LINGUA, homini â DEO ſit conceſſum, nemo eſt mortalium, qui non agnoſcat. Hac ſolâ quoniam mentis & rationis noſtræ ſenſa intima, alijs explicamus; hac quicquid opus eſt, impetramus; hac nobis animos hominum benevolos conciliamus; hac ſolâ mille homines, non ſecus, ac cathenâ quadam, in noſtram ſententiam pertrahimus, & quaſi captivos ducimus: hac tandem DEI gloria propagatur: & quicquid in univerſum commodis noſtris accedere cupimus, ſolius linguæ beneficio conſequimur. Quâ ſi tempore opportuno ac prudenter uti ſciamus, nihil eſt ad laudem & gloriam conſequendam illâ ipsâ efficacius. Sed quantò majora nobis ex ejus recto uſu accedunt commoda: tantò graviora quoque ejus petulantiam comitantur diſpendia; ſi eâ ad contumeliam aliorum utamur, qui morbus turpiſſimus eſt: Neque ea ſolùm hominem in calamitatem & miſerias præcipitat: ſed publicam quoque turbat tranquillitatem, Urbem & Orbem diſſidijs, ſeditionibus & bellis complet: omniaque ſurſum atque deorſum volvit. Unde illud Græcum natum eſt proverbium: *γλῶσσα ποῖ πορεύῃς? πόλιν καταστρέψουσα, καὶ πόλιν ἀνορθώσουσα.* *Lingua quo vadis? Urbem everſura, & urbem ſervatura.* Hanc itaque frenis cohibere, tàm eſt honeſtum & decorum, quàm utile. Libertate enim ſuâ tunc maximê utitur, cùm homo aut iratus, aut ebrius, alijsque affectibus vehementioribus laborat. * Unde Romanorum hunc fuiſſe morem didicimus, ut ſilentij notam, S, uſurparent: quam Triclinijs, abacis & foribus diætarum ſuperponerent, eò, quòd inter bibendum multa dici ſoleant, majore libertate ac licentiâ, quàm locis alijs: quæ tamen ita licenter exprompta, nefas eſt eliminare. Quòd ſi tantam prudentiam veteres in conviviorum celebratione adhibuerunt, in quibus tantùm jucunda, rarò aut nunquam ſeria tractabant; ne, quod ex libertate, ore excidiſſet verbum, alij foràs divulgarent: quantò id magis in Conſilijs, & Principum Curijs obſervandum eſt: ubi de rebus ſerijs, de totius Reipub: commodo: de privatorum bonis, de Principis ſalute, de patriâ conſervandâ, alijsque graviſſimis rebus deliberationes inſtituuntur,

Obſigna ſermones ſilentio, ſilentium verò occaſione.

* Cl. Minos in prælect. Horat.

quæ

quæ antequam ad effectum perveniant, necesse est ea vim omnem amittere, si vel ante tempus, vel inconsultò divulgentur. Unde & Consilium à silendo derivatur, quòd, quæ in consultationem veniunt, silentio obduci, ac tegi debeant. Magistratum Romanum olim tantâ charitate patriæ flagrasse * Val. Max. scribit: ut *lib. 2. c. 3. *arcana consilia P. C. multis seculis nemo Senator enunciaverit.* & paulò post ait: *Fidum erat & altum Reipub: pectus Curia, silentijq; salubritate munitum, & vallatum undiq;: cujus limen intrantes, abjectâ privatâ charitate, publicam induebant. Itaq; non dicam unum, sed neminem audisse crederes, quod tam multorum auribus fuerat commissum.* Hoc itaque unum præ cœteris Consiliario incumbit observandum: ut secreta Principis apud se fideliter retineat: ne gratiâ aut muneribus aliorum corruptus, quod perfidi: nec irâ aut odio, vel sponte adductus, quod incontinentis esset, ea prodat, aut evulget. Quantò rectiùs ille, qui oris graveolentiam sibi exprobranti respondit: *Multa secreta* (inquit) *in ore meo computruerunt.* Et Romæ, Tacitæ silentij Deæ simulachrum, obligato atque obsignato ore, religiosè olim cultum fuit. Sic Alexander Magnus, cùm arcanas quasdam literas Hephæstioni legisset, detractum anulum ori ejus admovit: innuens, cuique in consilium lecto, os à principe clausum signatumque videri. arduum enim est, meruisse Principis secretum! ubi si „ quid cognoscitur prodi, vel ab alio formidatur. Siracides. *Spinis* „ *aures tuas circumsepito, & linguam malam audire nolito: & ori tuo fores, & auribus seras facito: argentum, aurumque tuum conflato, unde verbis tuis trutinam stateramque facias, & ori tuo portam atq; claustrum.* Taciturnitatem igitur, etsi aliter alij notârint; Ego tamen serâ clausâ designo. Ut enim thesaurum nostrum, & quæ oculis aliorum exposita nolumus, imò benè servata cupimus, seris occludere & communire solemus, ut secura, per has sciamus. Utque clavis ea suspecta est semper, quæ multas seras aperit: Sic arcana consilia Principum, in quibus sœpè totius Reipub: salus abscondita latet, silentio perpetuo salva esse oportet: ne linguæ

petulantia & lubricitas, quam adulterinæ clavi similem esse intelligo, eadem aperiat, & in publicum divulget.

Muretus in effigiem Tantali:

*Si quando admittant sua te ad secreta Potentes,*
*Quisquis es exemplo, disce tacere, meo:* * Val. Max.

*lib. 2. cap. 2.

*Taciturnitas optimum atque tutissimum est rerum omnium administrandarum vinculum.* Plaut.

*Benè consultum surripitur sæpissimè.*
*Quippe si rescivere inimici consilium tuum, tibi*
*Tuopte consilio occludunt lingvam, & constringunt manus,*
*Atq; eadem quæ voluisti illis facere, faciunt tibi.*

Ovid.

*Eximia est virtus præstare silentia rebus:*
*Et contra gravis est culpa, tacenda loqui.*



EMBLE-

# EMBLEMA. XXII.

## TUTISSIMA MERCES.



*EN reliquos secum trahit anulus ordine tractus*
*Longo, principium & finis, habetur idem.*
*Cùm Princeps pius est, illum agmina longa sequuntur*
*Virtutum, nexu consociata pari.*
*Moribus inde ejus se privus quilibet aptat:*
*Exemplumq; sui Principis esse studet.*
*Adde quòd hîc Ducibus Pietas* TUTISSIMA *M*ERCES;
*Quam tandem cœlis posthuma vita manet.*

Joan. Ales. Mar. in Instruct. Principum lib. I. c. 2.

*INdomitum mortalium genus est, ex quo divinæ legis jugum excussit. Fit autem natura hominis efferatior, dum assvescit imperio. A quo enim coërcebitur? Quapropter saluberrimum consilium sit Principibus, quibus terra paret, caput in cœlum tollant, & castum divinæ majestatis timorem ediscant, &c:*. Mandatum enim & Vox DEI jubet: salus animæ propria flagitat: gratitudo postulat. Nam, cùm ipsum benignitas divina, hominem rationalem, non animal aliud esse voluerit: Dominum non servum, multarumque gentium Regem, ac suum Vicarium constituerit: supraq; conditionem humanam ad tantum honoris fastigium evexerit: meritò illum solum, ut Creatorem adorare: ut Dominum superiorem pio cultu venerari: ut Protectorem, urgente necessitate, colere: ad eum verâ animi fiduciâ, tanquam unicum & tutissimum præsidium confugere debet. Videmus ipsos Principes, si quem honoribus aut opibus cumulaverunt; cùm aut neglegentiorem animadvertunt, iniquo id ferre animo: videmus privatum quemque vilissimum, si accepti beneficij immemorem quempiam agnoscat, ægerrimè id ferre: Quid de DEO cogitandum est, qui ab omnibus hominibus gratitudinem piam, suique cultum efflagitat? maximè à Principibus, cujus illi vicem in terris agunt! Quamobrem Princeps bonus Pietatem ante omnia colet, à quâ ipsius, & Reipubl: felicitas dependet. Hanc enim si consilijs & actionibus suis, tanquam fundamentum immobile substruxerit, felici semper lætabitur eventu. quoniam *ex pietate, & invocatione divini numinis bonum initium, melius medium, & optimus finis sequi solet. gloß. ad Proæm. Inst.* & ut Imp. Justin.* ait: *Benè universa geruntur & competenter, si rei principium fiat decens & amabile DEO &c.* amabile autem id est, quicquid ex pio corde proficiscitur, & in nomine DEI incipitur. *c. non observetis. 26. quæst. 7.* Quippe, quòd * Pietas neglecta, aut prolapsa, traxit semper secum Rempublicam. rectè Horat.

* Auth. maxima. C. quomodo oporteat Episcopos.

* Lips. in not. polit. lib. 1. c. 3.

*Di multa neglecti dederunt*
*Hesperiæ mala luctuosa.* & * Lactant. *Ideò mala omnia rebus humanis cottidie ingravescunt; quia Deus mundi hujus effe-*

* lib. 5. Instit. c. 8.

*ctor & gubernator derelictus est.* Solent Reges & Principes, Coronas suas regias, gemmis & lapidibus preciosis exornare, easque insigni præ cœteris condecorare lapillo; magnique ejus precium facere. Solent aureas cathenas, monilia, & id genus ornamentorum de collo, pectore, fronte, auribus & manibus suspendere: quæ tantùm corporis sunt ornamenta externa: vulgique oculos talia, ut plurimùm, perstringunt, ut non rarò propterea apud homines magnifiant: Quantò magis animum pietate excolere; mentemq; pijs ac sinceris erga DEUM affectibus exornare decet: ut non tantùm internè, quod maximum est, ac esse debet, DEO placeant; sed externè quoque coram hominibus, verâ pietate ornati eluceant. Quandoquidem *Pietas* preciosissima illa est gemma, quæ coram DEI conspectu, si pura est, fulget: * *habetq; promissionem hujus & futuræ vitæ*: quæ homines, gratos DEO amicos; subditis acceptos & venerandos; vicinis populis amabiles reddit. Cumq; ita in Repub: fieri videamus; ut, * 1. Tim. 4. 8.

*Mobile mutetur semper cum Principe vulgus*,

non tantùm in moribus: sed etiam in Religione: & quòd subditi omni tempore imitentur opiniones & facta Dominorum, sive bona, sive mala: in id potissimùm Princeps incumbat, huc omnes suas cogitationes inprimis dirigat, ut pietate animum exornet, cultuque tam interno, quàm externo DEUM veneretur: illam, quantum fieri potest solam colat, foveat, conservet: sic facilè subditos quoq; suos ad pietatem, & optimos mores in suo Principatu reducet: sibiq; obsequentiores reddet. Habet enim magnam vim " vera Pietas, ad refrænandos animi & corporis pravos affectus, ani- " mosq; hominum inter se vinculo sacro conjugandos. Ut taceam " hîc * Numam Pompilium, qui Roman. pop. sacris obligaverat: * Val. Max. lib. 1. c. 2. sibi verò venerationem apud eundem acquisiverat, ex ficto deæ Ægeriæ nocturno congressu. Ut prætercam Scipionem Africanum, qui non antè ad negocia publica, vel privata ibat; quàm in cellâ Jovis Capitolini moratus esset: ut Minoem Cretensium regem, ut Lycurgum: aliosq; gentiles. ut * Theodosium Imp. non commemorem, quem aulam suam, veluti Scholam, in quâ ad pie- * Hippol. à Collib. in principe lib. 1. c. 6. ex Niceph. lib. 14. c. 3.

tatem

tatem[']ſe, ſuosq; exercuit, inſtituiſſe, temporaque diſtribuiſſe lectionum, pſalmorum, jejuniorum, imò & vigiliarum. Carolus IV, qua pietate erga DEUM fuerit, tot templa ab eo erecta ſatis teſtantur: Ut de alijs Chriſtianiſſimis Imperatoribus & Principibus non dicam; ex tuâ ſaltem unum, CÆSAR inviçtiſſime, auguſtiſſimâ familiâ, præter reliquos, qui omnes omnium virtutum laudibus inſignes fuerunt & ſunt: CAROLUM V commemorabo; qui cùm in puerili ætate pietatis & aliarum virtutum præcepta imbibiſſet; ac eandem per omne vitæ ſuæ tempus diligenter coluiſſet: rerum tandem humanarum & fluxarum ſatur, fratri ſuô Ferdinando, divæ memoriæ, Imperij priùs tradito onere & honore: monaſterium Iuſti ingreſſus, reliquum vitæ tempus aſſiduis precibus, & pietatis operibus contrivit. qui (quod maximum in tanto Monarchâ, cùm ſummæ opes, & ſumma religio rarò ſocientur) Cæſarum omnium primus, ob religioſæ vitæ inſtitutum, ultrò ipſum ſe Imperio abdicavit. Emblematis autem ſenſus per ſe facilis. Nam veluti catena ex auro, vel alio quopiam metallo conflata, ita circulis inter ſe cohæret, ut finis & principium ubiq; ſit; utq; ex anulo uno tota dependet: ſic ex Pietate Virtutes omnes proficiſcuntur. cum quo facit * Lactant. *Tolle hoc vinculum religionis, & vita hominum ſtultitiâ, ſcelere, immanitate complebitur.* * Et Auguſtin. *Paxillus, niſi benè fixus firmiter alicui fortiori adhæreat, omne quod in eo pendet, citò dilabitur, & ipſe ſolutus à rigore ſuæ firmitatis, cum oneribus ad terram dilabitur. Sic & Princeps, niſi ſuo conditori pertinaciter adhæſerit, & ipſe, & omnis, qui ei conſentit, citò deperit.* 1. Tim. 6. 6. *Quæſtus eſt magnus Pietas, cum animo ſuâ ſorte contento.* * Agapet. *Ut ad illuſtrem hominum memoriam inclareſcat, Pietatis in regni adminiſtratione, curam inprimis habeat.* * Lipſius. *Nulla res magis animos ac mores componit, quàm Religio: & illa, ubi in pectus demiſſa, Virtutum agmen ſequitur.* Plutarch. in Nicia. *Subditi vehementer ad Religionem excitantur, cùm Magiſtratuum ſuorum pietatem vident: quia magis exemplis, quàm legibus reguntur, & vita principis, ipſis cenſura eſt.* Seneca * ait: *Pietate acquiri veram felicitatem, & ſucceſſum rerum proſperum.*

VVarſev. Turcica 3.

* De ira Dei c. 8. t. 8.

* De abuſionum gradib'.


* Aphoriſ. 15.

* In monitis ad politica c. 1.

* Ep. 74.

# EMBLEMA XXIII.

## DURANT ÆQUA.



*QUisquis Justitiæ cultor vult æquus haberi:*
*Neve aliquâ Legis parte vacillet opus.*
*Sontibus imponat condignas crimine pœnas:*
*Et factis tribuat præmia justa bonis.*
*Non honor aut precium, non vis, non ulla potestas,*
*Justitiæ infringat jura severa sacræ.*
*Æquali penduntur ubi sic omnia lance;*
*Justitiæ & Legi tunc suus adstat honos.*

IUstitiam & Judicium exercere, eſt proprium Regum munus: quod ut faciant, ſunt à DEO inſtituti, tùm à populo electi. Hoc cùm ſincerè exequuntur, à DEO benedictione cumulantur, & à ſuis ſubditis amantur: ſi ſecus, odium ſubditorum in ſe, Deiq; iram derivant. Nam cùm vita noſtra ſine rebus, res autem ſine perſonis eſſe non poſſint: de utroq; ſæpè lites oriuntur, unde ad Judicem provocatio. Cùm autem *nemo in propriâ cauſâ Judex eſſe debet*, l. unica C. ne quis in ſuâ causâ judic. *nec eſt ſingulis concedendum, quod per magiſtratum publicè poſſit fieri*. l. non eſt. ff. de R. J. Judice igitur opus eſt, qui juſtè ex ll. præſcripto, non ex propriâ conſcientiâ, favore, irâ, aut odio ſententiam dicat: qui neq; connivendo ſceleribus amicos: neq; ſeveriùs puniendo, inimicos ſibi paret. Quæ quidem res judicium, & juris ac legum peritiam, maximè requirit. Ideò DEUS ipſe monet omnes Judices: *Judicate rectè filij hominum*. & * Joſaphat inquit ad Judices. *Videte quid faciatis, non enim hominis exercetis judicium, ſed Domini: & quodcunq; judicaveritis, in vos redundabit. Sit timor domini vobiſcum, & cum diligentiâ cuncta facite. Non eſt enim apud Dominum Deum noſtrum iniquitatis, nec perſonarum acceptio, nec cupido munerum.*

*2. Paralip. 19.

*Hacq; unâ reges olim ſunt fine creati,*
*Dicere jus populis, injuſtaq; tollere facta.*

Princeps igitur ſit Juſtitiæ amantiſſimus, quâ ſolâ proximè ad DEUM accedit; eamque rectè ubiq; & ſemper exerceat, ſi verus DEI vicarius in terris, ac juſtus Princeps audire, populiq; amorem „ promereri cupit. *Juſtitia* enim *& Beneficentia Principis, fidem atq; benevolentiam parit multitudinis: benevolentia fidesq; charitatem, Charitas ſecuritatem, Securitas diuturnitatem Imperij, quarum rerum omnium Comes, Immortalis gloria.* Contra verò, *Injuſtitia & ſævitia gignit metum; Metus Odium; Odium inſidias, inſidiæ interitum, quas res perpetua comitatur Infamia.* Cumq; Juſtitiam adminiſtrare, ſit pars potiſſima principalis officij: Ipſe judicijs adſit; Jus dicat ipſe, partes benignè & patienter audiat, ſententias ferat: vel ſi propter molem Negociorum, juridicundo

Reuſn. in Symb: Impp:

ipſe

ipse non sufficiat: deligat Judices, & constituat viros pios, & inculpatæ vitæ. Inprimis verò, * *Juridicundo sunt præficiendi, qui callidi sunt, ac solertes ingenio, ad hominum technas deprahendendas:* Maximè, *qui sunt consulti Juris.* * *Ii* verò *plebem optimè regunt, qui pollent eloquentiâ prudentiâq;.* Cùm autem in quavis Repub: benè moratâ, sunt illa duo judicia forensia, Civilia scilicet, & Criminalia constituenda; in quibus ex Æquo & Bono, secundum ll. tamen, observato legitimo cognitionis ordine, eoque præscripto, de privator. controversijs judicetur: tales constituat Judices Princeps, qui memores sui officij & fidei, quā Principi suo, sive Magistratui jurant: Deoq;, supremo Judici possint conscientiæ morsus evitare: judiciorū rationē reddere. Nam, quemadmodū justos Judices DEUS adjuvat & defendit: ita injustos severè punit. Karolus Magnus semel in hebdomadâ ad causas audiendas sedit, ut ejus Constitutio testatur: fecerunt id omni ævo Imperatores & Reges. * Draculam Transalpinæ Valachiæ Ducem, tantæ severitatis & justitiæ fuisse scribitur: ut Turcarū legatis in præveneratione, pilea Phrygea ex patriæ instituto deponere recusantib⁹, confirmādi moris gratiâ, tres capiti clavos affixisset, ne ampliùs amoveri possent: innumeros Turcas palis præfixisse, & inter eos lautè cum amicis discubuisse: Turcis sœpè captivis cute pedes exuisse, contusoque sale perfricuisse: mox salsis plantis capras lingentes adhibuisse, quæ linguæ asperitate cruciatum augerent. In Barbarâ tamen regione tantam justitiam exercuisse: ut in mediâ quisque silvâ tutissimus esse posset. * Traianus meritò laudatur, qui præfecto prætorio mandavit, porrecto nudo gladio, Justitiæ signo, *Accipe* (inquit) *gladium; quē pro me, si rectè imperavero: sin minùs, contra me distringe.* Sic optimus & laudatissimus Cæsar FERDINANDUS, a. m. nihil in ore sœpiùs habuisse fertur; quàm Justitiam: unde Symboli loco usus est hoc dicto: FIAT JUSTITIA, AUT PEREAT MUNDUS. Sentiens nimirum, Justitiâ solâ vitam humanam conservari, quæ gloriæ & famæ omnium Regum ac Principum, quibus Respublica commissa, fundamentum est firmissum; cujus tanta vis, ut sine eâ, nec hominum univer-

* Danæ in Aphor. Polit.

* Liv. lib. 10. Dec. 1.

* Bonfin.

* Plin. in Panegyr. Traian.

Reusn. in Symb. Imp. Ferdinandi.

ſum genus ſtare, nec rerum natura, nec ipſe mundus poteſt. Hac conſideratione Emblema quidem uſitatum, huic operi inſerere volui. Libra enim æquitatem, Liber leges, gladius verò executionem ll. denotat. Ita olim divinarum ll. volumen cum gladio, regi deſignato, apud Ebræos tradi ſolitum, legitur: ut meminerit; verum DEI cultum & Juſtitiæ, ad ſuam curam & propugnationem inprimis pertinere. Huc pertinet Salom. in proverb: *Abominabilis regi eſt impietas; nam Juſtitia ſtabilitur thronus.* Et ibid. *Juſtitia exaltat gentem, at populum perdit injuſtitia.* * Seneca. *Æquum jus eſt, non quo omnes uſi ſunt, ſed quod omnibus latum eſt.* Idem. *Juſtum eſſe gratis oportet, & ſe in hanc pulcherrimam virtutem ultrò impendere: nullum juſtæ rei præmium majus eſt, quàm juſtum eſſe.*


*Ep. 108.



EMBLEMA

# EMBLEMA XXIV.

## CAVET FUTURIS.




*QUalis Rex, talis Grex fertur. Lex sed utrumq;*
*Si malè conveniant, sub sua jura vocat.*
*Rex equidem Leges sancit: non est tamen exlex.*
*Spontè probus Rex, quod Lex jubet, omne facit.*
*Lex ipsa est Princeps: est Princeps legis & instar.*
*Sunt ambo juris Regula justa boni.*
*Rex sed ubi leges propriâ ratione refigit:*
*Publica res certum tendit ad interitum.*

IN omni Republicâ laudabili, Legum maxima debet esse observatio: quòd hæ sint Anima & vinculum Reipub:, quo membra ejusdem, & status optimus ac felicissimus constringitur, cohæret & conservatur. Hæ sunt medicina quædam, hæ pharmacum præsentissimum contra malos mores, ex quibus etiam enatæ sunt. Nam, ut pessimi morbi optimis remedijs inveniendis causa fuêre: Ita & Leges latæ, necessitate sic exigente, ex malorum morum exundantiâ sunt exortæ. * Tacitus inquit. *Usu probatum est, leges egregias & exempla honesta apud bonos, ex delictis aliorum gigni.* Hinc CAROL. CALVUS, Symboli loco usurpavit: JUSTITIAM INIUSTITIA PARIT. Legum verò necessitaté in Rebuspub: vel hæc ratio monstrat: quòd improborum audacia longe latèq; fines suos dilataret & extenderet, ac quidem in infinitum: nisi freno legum inhiberetur. Meliùs enim semper legum pondere pressa curatur audacia: & dum metus talibus imponitur, peccandi licentia non præbetur. *Sunt* itaq; *leges custos justitiæ, virtutum altrices, disciplinæ conservatrices, vitæ præsidium, infirmorum auxilia, potentiorum frena, quibus eorum audacia & libidines, ad gyrum rectæ rationis flectuntur.* Princeps igitur Bonus, leges Reipub: suæ feret salutares: easque semel latas non facilè immutabit, aut abrogabit, aut quoq; abrogatas in usum revocabit; nisi aut summâ urgente necessitate: aut Reipub: utilitate aliquâ sic exigente: neq; multas constituet. Illud enim judicij non recti, imò inconstantis: hoc Tyranni esset; populum ll. pondere, & jugo servili opprimere volentis. Leges enim, cùm sint fundamenta Reipub:, si quis ex ijs fundamentis mutare quidpiam volet, verendũ, ne ei idem contingat, quod substructiones & funmenta altissimarum ædium, mutanti; is nisi cautissimè agat, certa totius ædificij ruina subsequetur. Et quanquam à multis hinc seculis virorum doctorum, DE ABSOLUTA PRINCIPUM POTESTATE, variæ fuerint sententiæ, tâm in Scholis, quàm foro agitatæ: neque inscius sim, *de summi Principis judicio disputare, sacrilegij instar esse*, l. 3. C. de crim. sacrileg. *cùm ex plenitudine potestatis suæ, tùm consvetudinem, tùm legem abrogare, Heigius part.*

* 15. lib. Anal.

*1. quæst.*

*1. quæst. jur. n. 95.* Et *leges condere possit*, l. ult. in fin. C. de ll. & *quicquid ei placeat, legis vigorem habere* l. 1. ff. *de const. princ.* Salvo tamen judicio, & communi Dd. opinione dixerim, eum ll. non esse solutum, etiam quas ipse Reipub: utilitatis caussâ ferat vel tulit. De ll. divinis, Naturæ, & Gentium non dico, cùm extra controversiam, saniorum ICtor. calculo approbetur: eum ijsdem teneri. Non dico de Justitiæ & Honestatis ll. quibus & ille solutus non est; cum ratio ipsa dictet, eum, qui justè imperare, & justitiam administrare debeat & teneatur, injustè omninò agere non debere. Qui honesta præcipit & præscribit, ei inhonesta facere non convenire: *Vana* enim *& elusoria essent leges, nisi, qui eas tulit, hasce exemplo & vitâ suâ firmaret & defenderet.* Sed quoniã *Princeps* ipse sit *animata lex. Leges* autẽ *indifferenter aut ad pœnã; ut ad Obedientiã obligent* l. divus 7. D. de jur. patr. sequetur eum quoque ijsdem subijci, quas alijs tulit. *Eum* enim *qui leges condit, pari majestate legibus obtemperare convenit.* l. *Papinianus* 8. §. *si Imperator* 2. de *inoff. testam.* Absoluta enim eorum potestas, non est " est numeris omnibus absoluta: Cùm illa tantùm in DEUM, qui " Rex ipse est summus & primus ordine, nec superiorem recogno- " scit; cadat: terrestres verò Reges Institutione, & sic posteriores. Cœterùm, cùm ll. sint quædam sponsio inter Principem & subditos: Sponsiones autem & conventiones vanæ sunt, quæ in voluntatem committuntur alterius partis, cùm sit natura obligationum, ut invitos adstringant. Sequetur igitur, eum quoque legibus teneri, quas populo tulit. Quod si non cogatur vi: cogetur tamen à pudore: cùm *justitia sola non sit, sed & pudor, qui homines regit, & in officio continet.* Unde Salyc: ait. Quòd *honor non est,* " *sed pudor, legibus alligari.* Et *revera, majus Imperio est, submittere ll. principatum* l. *digna vox.* C. de ll. Item. *decet tantam Majestatem eas servare leges, quibus ipse solutus esse videtur*, l. *ex imperfecto* 23. D. *de legat.* 3. Et Impp. Severus & Antoninus: *Licet*, inquiunt, *legibus soluti simus: attamen ll. vivimus.* §. *fin. Instit. quib. mod. testam. infirment.* Claudianus eleganter.

Alc. & Duar. de V.O. Alber. Gentil. de Vi Civ. in regem semper injustâ.

*In commune jubes si quid, censesve tenendum.*

*Primus*

*Primus jussa subi: tunc observatior æqui*
*Fit populus, nec ferre vetat, cùm viderit ipsum*
*Auctorem parére sibi &c.* Non nego tamen Principem ll. quibusdam solutum esse: ne tantæ Majestatis splendor, qui in ipso refulget, Vulgi juri communis, promiscuusq; sit. Ad summam. *In quâ Repub:* ex Platonis sententiâ, *non lex Principi & Magistratui, sed legi Princeps ac Magistratus præest: ei interitus est paratus. Salus verò illi, ubi lex servientibus Magistratibus dominatur.* Emblema autem nostrum leviori explicatione indiget, quandoquidé fasces Imperium, & qui huic præest, ex superioris emblematis explicatione denotent. eadem ratio & de libro. cum quo & * Seneca facit. *Legem scimus justi injustiq; regulam esse.* Idem. *Rectum est sui & obliqui index.* Lex autem recta quædam linea est, curvum ipsum discernens. Leo Imp: in procem. Novell. *Lex est quasi murus magistratibus, adversus vulgi importunitatem, vitæ nostræ custos & medicus: dum mala ne oriantur, impedit: corrigit & evellit, quæ irrepserunt.* Idem constit. 19. *Est oculus Reipub: Ideoq; ut res maximè necessaria animali oculus non titubans: Ita & Reip. legum æquus & rectus status:* alibi Lex, *Regina omnium divinarum & humanarum rerum, regula justorum & injustorum appellatur.*

Vide Corras: Miscell. lib. 2. c. 25. Pruckman de regal. Speckhan quæst. Iur. Cent. 1. quæst. 27. Bronchorst. ἐναντ: cent. 1. assert. 1. Alber Gent. de potest Regia absoluta, & alios.

* 4. de benef. 12.



EMBLEMA

# EMBLEMA XXV.

## Usus Beat.



*Ceu malè Campanæ sonus exauditur, ubi ipsa*
*Fissuram medio corpore rupta gerit.*
*Sic proprium amittit Lex sacrosancta vigorem,*
*Ejus cùm justum* VIS *labefactat opus.*
*Nec juvat innumeras subjectis condere leges,*
*Si nemo qui illas sponte sequatur, erit.*
*Non vox, sed Ratio: non legis jussa, sed* USUS,
*Justitiæ populos cultus in orbe* BEAT.

LEges inventum ac munus esse DEI, decretum prudentum hominum; patet ex l. 2. ff. de LL. quæ meritò autoritate muniri, & ab hominibus sanctè coli & observari, imò terrori esse debent, propter authorem, & quam humano generi conferunt utilitatem. Olim, ut humanis mentibus leges firmiùs infigerentur; & plùs dignitatis ac venerationis haberent, Reges & Legum latores eas à Dijs sibi traditas finxerunt: * Sic Numa Ægeriam Deam autorem religionis & ll. finxit. Sic *Minos Cretensium Rex, nono quoq; anno in quoddam præaltum & vetustâ Religione consecratum specus, secedere solebat: & in eo moratus, tanquam à Jove, quo se ortum ferebat, traditas sibi leges prærogabat.* Sic Lycurgus legum à se Lacædemoniorum Civitati latarum, Apollinem autorem esse, ijs persvasit. Atque ut à profanis ad sacras leges veniam. * Moses duas tabulas legis divinæ, in monte Sinai à DEO OPT. MAX. sibi traditas, populo Israëlitico testatur. Utque populo terrorem, ac sui venerationem adderet, inque eorum animis excitaret; visus est Cornua duo in facie habere; quæ tamen non cornua, sed potiùs radios lucentes fuisse, cum doctioribus crediderim: quanquam & Cornu, excellentiæ & authoritatis signum esse, ex sacris apparet 2. Reg. 22. Psal. 112. Imò pro rege ipso in sacris literis id inveniri tradit, * Henr. Salmuth, ex Pierio lib. 41. Hieroglyph. Cumque ex his constet, legibus mentes humanas constringi, & à maleficijs ad honestatis & obedientiæ officia revocari; Principi bono, cui ll. & disciplinæ Politicæ, à DEO & populo, demandata est cura, maximè incumbit; ut possibilitatis, facilitatis, ac æquitatis rationem habeat in ijs ferendis. Ea enim, *quæ impossibilia sunt, lege præcipi nec possunt, nec debent. adeaq; nemo obligatur* l. impossibilium ff. de R.I. Proinde * Plutarch. inquit. *Ea quæ jubentur, oportet fieri posse facilè.* Æquitatem voluit Paul. l. *in omnibus* 90. ff. de R.I. Et quia parum est leges ferre; nisi ipse, qui eas tulit, easdem defendat, & observet, atque, ut executioni mandentur, seriam curam habeat: Principis quoque

* Val. Max. lib. 1, c, 3.

* Exod. 31. vers. 18. Deut. 5. vers. 22.

* In not. ad Pancirol. de Fibulâ.


* In vitâ Solonis.

quoque boni erit, ut non tantùm ſubditos in officio, ſecundum leges à ſe latas contineat: ſed ſibi, eas non violandi, legem ponat. Fieri enim vix poteſt, ut alios ad ea exequenda aut obſervanda cogamus, quæ ſancimus; quæ nos ipſimet ſervare nolumus, aut ſancita infringimus. Neque Reipub: felicitas conſiſtit in eo, ut habeat multas & bonas leges: ſed ut habeat Principem bonum. quorſum enim lex juſta, ſi Princeps executor ejuſdem ſit injuſtus? Auguſt. Cæſar legem de adulterijs tulerat, quomodo criminis rei accuſari ac puniri debebant: cumque Juvenis quidam, qui cum filia ejus Juliâ commercium habuiſſet, ad pœnam ab eo raperetur, atque hic exclamaret: Cæſar legem tuliſti, eam ſervare te oportet, eum poſtea facti adeò pœnituiſſe, ut eâ die cœnam ſumere recuſaret! Et quanquam dolore & delicti gravitate commoveretur ad legem infringendam, ac ſtupratorem puniendum; maluit tamen abſtinere, quàm ll. violator audire. Simile de Zaleuco Locrenſium legumlatore legitur. Emblema autem hoc ad ll. maximè pertinet: quas ſub Campanæ ſpecie intelligo. cujus uſus inprimis publicus eſt. Nam, ut * Pancirollus ait, *actiones publicas intimat.* Ac quemadmodum homines in urbibus & pagis ad Campanæ ſonitum convenire ſolent: & quid impulſa notet, ſciunt. Quæ ſi rumpatur, ejus uſus parvus aut nullus omninò erit. Sic etiam ll. niſi integrè & ſanctè obſerventur, nullius momenti erunt. hinc eâ mente Imp. Maximilianum dixiſſe ſcribunt: *Ut Campana ſine piſtillo; ſic lex ſine executione nihil valet.* Utque ſibi Campanæ ſurdæ ſunt & ſtupidæ, niſi ad ſonitum edendum moveantur: Ita & ll. nihil valent, niſi executione condecorentur. Eundem in ſenſum ferè elegans Epigramma extat.

* lib. rer. repert. tit. 9.

*Æra gravi cunctos veluti Campana ſonore,*
*Ipſa licet penitus ſint ſibi ſurda, cient:*
*Sic tu recta docens alios perverſa ſequute,*
*Quiq; alijs ſapiens, non ſapis ipſe tibi.*

Et quemadmodum res quævis in uſu maximè conſiſtit: Sic & ll. authoritatem tùm demum acquirunt, cùm ad uſum rectum revocantur. Ariſt. pol. 3. cap. 3. *Legum uſus non in eo conſiſtit, ut benè illæ in Codice Reipub. ſcriptæ aſſerventur muribus ettineis; ſed ut his poſitis, homines pareant: & meliùs eſt, non eſſe prorſus leges, quam ll. non obtemperare.*



EMBLEMA

# EMBLEMA XXVI.

## SECLA REPENDENT.



*URbis victuræ Princeps exordia primæ*
*Hæc sibi præcipuè constituenda putet.*
*Quærat certa hominum quæ commoda postulet usus:*
*Queîsq; diù prorsus vita carere nequit.*
*Hinc ea procuret, quæ talia jure sequentur.*
*Et queîs commodiùs vivere quisq; potest.*
*Deniq; firmatam certis ut legibus armet,*
*Sic structâ perpes mole vigebit Opus.*

IN rerum Naturâ, ſive Univerſitate hac, nihil eſt, quod principium non habuerit, habeatve, incrementa, & finem: quodq; perfectum eſſet qualitate ſuâ, aut perpetuum. Utq; omnia à primâ illâ cauſsâ & ſupremâ, primoq; motore DEO OPT. MAX. dependent: ita ejus voluntate, & abſoluto arbitrio reguntur, diriguntur, ſtantq; caduntq;. Sunt tamen quædam, quæ humanâ induſtriâ effinguntur, diligentiâ conſervantur, & prudentiâ gubernantur: quæ tantùm abeſt, ut ſtabiliantur ſolidè, aut durabilia reddantur, ut etiam DEO ſic diſponente corruant, aut immutentur. Id quod in Imperijs, & Rebuſpublicis luce meridianâ clariùs apparet. Primam Monarchiam Nimrodus conſtituit (ab eoq; reliquarum initia facta) videtur Chaldeorum & Aſſyriorum Tyrannide, quæ poſtea ad Perſas, à Perſis ad Macedones fuit translata. Uſq; adeò verum eſſe ex hiſtorijs apparet. Fatales eſſe Periodos Imperiorũ, quæ quidẽ, etſi certo quodam temporis ſpacio includantur, ut ex multis Rebuſpub: mutatis, everſis, converſis facilè colligitur: periodos tamen iſtas non peræquè ubique durare certum eſt. Licet autem humanâ induſtriâ, & Prudentiâ, optimiſque Conſilijs ſtabilianrur Reſpublicæ & conſerventur: attamen, quin eas DEUS propter peccata imperantium, aut ſubditorum, pro ſuâ liberrimâ voluntate deſtruat, & uti ei placet, cum ijs diſponat: nemo negaverit. Et veluti quis ædificium egregium exſtructurus, tantò majorem diligentiam & Prudentiam adhibet, ut omnia ex arte diſponat, diſpoſita firmet: & ſervatâ proportione totius ædificij, res quoque in eo minores, non tantùm ad uſum, ſed & ſplendorem collocet; quantò ædificium ipſum ſplendidius, laudabilius & durabilius exiſtere cupit: Ita quoque, meo judicio, „ Principi, qui novam Urbem & Rempub: conſtituere, ſtatumque „ ejus tùm florentem, tùm diuturnum conſervare ſatagit, in id in- „ cumbendum eſt maximè; ut ea primùm parentur, ſine quibus „ nullo modo vivi poſſit. Deinde quærantur ea, quibus commodius „ vivitur. Tandem ea conſtituantur, quibus tranquillè & pacatè „ quisque vivat. Illa ſunt obiter ut recenſeam. Victus, Habitatio, Arma

tio, Arma & Judicia: hæc sunt nascentis Reipub: summè necessaria primordia. Sunt alia, quæ concausæ appellari possunt Rerumpub: constituendarum. Plato quidem in universum Novem genera ponit rerum, primigeniæ illi civili hominum societati subservientia, videlicet *Instrumenta, vasa, vehicula, munimenta, oblectamenta, nutrimenta, Artem monetariam, servitia publica, & sacerdotes.* Hæ partim Necessitati, partim Civitatis ornamento serviunt. * Aristoteles verò ad sex genera rerum Reipub: necessariarum totum restringit. videlicet ad *Victum*, qui sufficiat civitati: *Artificia*, quæ vestimenta civibus & peregrinis parent: *Instrumenta*, quibus Respub: utatur domi. *Arma*, quibus se contra hostium vim foris defendere, domi verò seditiosos coërcere possit. *Cura divini numinis*, ut Cives in pietate exerceantur. *Judicia publica*; ut lites civium componantur. Quæ verò sint ornamento Reipub: plurima alibi recensentur, nec hoc loco omnia perscribere placet. Id tantùm addo. Rempublicam florentem conservat generaliter, * Verus DEI cultus. Concordia privata, sive pax domestica. Pax publica, & quam cum exteris colit Princeps. Principis Prudentia & Clementia. Eius boni Consiliarij. Fides publica servata. Vectigalia. Fœdera & pacta conventa cum vicinis & extraneis populis, Gens genti opposita, &c: Sunt & specialia, quæ Rempub: conservant, de quibus scriptores politici consulantur. Ac quoniam Respublica Principum sit Objectum, in quo actiones suas & Prudentiam exercent: tantò populo acceptiores erunt, & à posteritate laude dignâ celebrabuntur, quantò in constituendâ Republ: majorem curam; in constitutâ, diligentiam; in gubernandâ, & pacis ac belli tempore conservandâ Prudentiam adhibuerunt. Cumque Principi, (ut & omnibus hominibus) diù vivere denegetur: relinquat post se Rempub: benè constitutam, quæ eum posteritati Vixisse testetur. Emblematis vero hujus sensus obvius est. Igne enim & aquâ, æquè ægrè carere possumus, ut aëre quem trahimus: ut & tecto, quo nos, nostraque, adversus cœli injuriam defendimus. Hinc olim novæ nuptæ in domum mariti ignem inferre solebant,

lib. 7. Polit. c. 8.

* Danæ in aphor. Polit:

tanquam

*Fran. Barbarum de re uxoriâ lib. 1. c. 8. Ioan. Rosinum & Thom. Dempsterum à Muresk antiquitatum Romanar. lib. 5.

*lib. 3. de Regis institut.

tanquam summè necessariam rem ad usus humanos, de quibus vide * alios. Et nostrâ hac ætate videmus aliquot in Imperio Rom. recens extructas urbes, & adhuc extrui; quæ non minùs splendidæ, quàm legibus optimis instructæ florent, & quod DEUS faxit, diù floreant: neque obscurum est aut ignotum, quomodo creverint, & ad amplitudinem suam pervenerint, ac incolæ à parvis initijs, ad majora & laudabilia incrementa rerum ac opum consurrexerint. Huc quadrat Cic. lib. 2. Off. *Omnes qui Rempub: gubernant, consulere debent, ut earum rerum copia sit, quæ sunt necessariæ.* * Osor. *Officium regis in eo positum est, ut Rempub: opibus locupletet, præsidiis firmet, moribus ornet, dignitate illustret; atq; ut uno verbo dicam, beatam efficiat.*



EMBLEMA

# EMBLEMA XXVII.

## NON SIBI.



*NOn minor est virtus, alios audire monentes*
*Optima; judicio quàm benè stare suo.*
*In regno occurrant dubij cùm sæpiùs actus;*
*Rex horum eventum cernere vix poterit.*
*Consulat ergò alios decernens: eligat ipse*
*Sed fugienda sibi: quæq́ sequenda sibi.*
*In gravibus causis proprio jus dicere sensu;* „
*Erroris semper proxima causa fuit.* „

* Cic. pro Cluent.

* SApientiſſimũ eſſe eum dixit Romanus ille Orator, cui quo opus ſit, ipſi veniat in mentem: proximè accedere illun qui alterius benè inventis obtemperet. Sed qui neq; ipſ conſulere, neq; alteri rectè monenti parere ſcit, eum peſſimi eſſe ingenij. Prius illud, quanquã cuivis honeſtũ: Principi tamen ſummè Neceſſarium videtur, ut Reip: benè præeſſe, ac quoties opus (opus autem ſemper,) Conſilio & auxilio ſuo ipſe ſuccurrere & opitulari queat: attamen rarò ea ingenij felicitas, & exquiſita prudentia in Principes (quod bonâ pace ipſorũ, & verecundè dixerim) cadit, ut ſoli tantæ molis Onus, & graviſſima, ſœpè periculoſiſſima negotia Imperij ſuſtinere; aut quæ nocerent, prævidere, conſilioq; proprio avertere poſſent; tùm, quòd Prudentia uſu, eoq; ex varijs rebus vario, civilium & militarium rerum tractatione, ac variæ fortunæ caſibus acquiratur: tùm, quòd unus non omnia videat, multa autem multi; Illam verò, vel per ætatem juvenilem acquirere non poſſunt: vel, quòd *Inſtitutione aut Naturâ* (ut * Lipſius ait) *eis hæc ſors eſt negata*. Et licet illud verum ſit: *Odi ſapientem qui ſibi non ſapit*: privatisq; potiùs, quàm publicis perſonis ſerviat: aliam tamen rationem domus, quàm Civitatis; aliam Civitatis, quàm totius Imperij: aliam patrisfamilias ſtatum; alium quoq; Patris patriæ, aliam Conſulis; aliam item Regis conditionem eſſe affirmârim: cùm tamen paterfamilias, aut alius quiſpiam, ſi ei alicujus momenti negocia tractanda, ſuo tantùm non ſtet judicio: ſed aliorum Conſilium & opem ſœpè requirat. Atq; ideò quoq; in judicijs & tribunalibus, Judici aſſeſſores & collegas adjungi videmus: ne, ſi graviora negocia, vel lites de magnis & arduis rebus ſint decernendæ; ex ſuâ ſententiâ id tantũ faciat; quod parti alterutri in juris, aut honoris præjudicium judicatum eſſe cenſeatur. Quod ſi verò id in privatis rebus, ut plurimùm fiat; quarum ex imprudentiâ, error & jactura; parvo ſœpè commodo corrigi, aut redimi poteſt: quid ſibi Princeps Bonus & prudens, in tractandis Reipub: negotijs difficillimis, faciundùm putabit? cui nimirum multi populi, eorumq; tot tantæq; curæ, regniq; negotia commiſſa ſunt? cujus talis conditio eſt, ut quæcunque benè aut

* Polit. lib. 3. c. 2.

ſecus

ſecus facta ſint, aut fuerint; ad Rempub: pertineant: & cujus error ipſum, regnumque totum peſſundat, & ingenti damno involvit! Quemadmodum igitur, in extruendo ædificio, ſola Architecti ſcientia non ſufficit; ſed aliorum operariorum quoque adjumento opus eſt, ut meliùs & citiùs perfici poſſit: Sic & in Repub: non ſatis eſt, ut Princeps ipſe rebus agendis, & negotijs par ſit: ſed ſibi Amicos adjungat oportet; id eſt, Viros prudentes, vitâ & moribus probatos: & famâ celebres: quorum conſilijs & operâ, pace & bello feliciter uti poſſit. Nam ſi adminiſtrationem rerum ſuarum & publicarum, ſolis adminiſtris commiſerit: verendum eſt, ne omnia regni præſidia dilabantur: Si verò ipſemet omnia absq; aliorum adminiculo peragere velit: laborem immenſum ſine fructu ſubibit: nullumq; tempus moleſtijs, curis, adde & periculis vacuum habebit. Neq; laudandi ſunt, qui omnia ex ſuo judicio tantùm metiuntur. Nihil autẽ rectè vel benè factũ putant, niſi quod ipſi fecerint. Neq; ij probandi ſunt, qui licet benè conſulentium ſententias patienter audiverunt; id tamen ſolùm juſtum & bonum cenſent, quod Affectus potiùs, quàm ratio recta, & prudentium ſuffragia concludunt. Quanquam non negem Prudendentis & Sapientis eſſe, aliorum ſententias & voces audire, atq; inde, quod optimũ, utile & honeſtũ, nec nõ factu facile, exequi. Et, ſi præterita tempora, cum præſentibus conferamus; Principumq; ſtatum, qui eâ tempeſtate vixerunt, conſideremus; raro ex unius voto res in Repub: feliciter; ſemper autem communicatis conſilijs optimè ceſſiſſe animadvertemus. Ea propter Auguſtus Mecœnatem & Agrippam. M. Antonius, Scævolam, Mutianum & Voluſianum. Severus Papinianum ſemper apud ſe habuiſſe legitur. Alij alios in conſilium adhibuerunt. *Sapientiæ argumenmentum*, inquit Tacitus, *in Principe nullum majus eſt, quàm ſapientum virorum conſilio uti.* Emblemate igitur hoc docere volui, Principum libertatem, (quam pileo deſigno,) in rebus præſertim maximi momenti, & quæ totius Reipubl: ſummam concernunt, non ad affectum, & privatam cupiditatem eſſe laxandam: & quid ſibi bonum eſſe tantùm videatur, ſtatuendum: multò minùs libertatem eandem in rebus ad commune bonum pertinen-

tibus, vi esse debere armatam: Turpe enim Principi bono & Reipub: salutari, si dicat:

*Si volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas.*

Quin potiùs, sic Libertate, rectâ cum ratione congruente, uti debet; ut interea fidorum & prudentum Consiliariorum suffragia non excludat. Nam

*Reusn.

* *Consilio quicunque suo sapit, haut sapit ille:*
*Consilio alterius qui sapit, ille sapit.* Hinc & M. Aurelius Antoninus Philosophus Symboli loco usurpavit.

CONSULENDUM ET PARENDUM CONSILIO. Et in hanc sententiam rectè * Livius. *Si quis de suâ unius sententiâ omnia geret, superbum hunc judicabo magis, quàm sapientem.* Sirac. *Pro viribus tuis conjecturam fac de altero, & cum sapientibus ini consilia, cum intelligentibus esto confabulatio tua, & tota narratio de lege Altissimi.* * Tacitus. *Neu vim principatus resolvas, cuncta ad senatum revocando. Sit solus arbiter rerum jure ac nomine regio: Consilia tamen spernere non debet: licet alioquin,* teste eodem Tacito, *ea sit imperandi ratio, ut non aliter constet, quàm si uni reddatur.* Et ut idem ait: *periculosum sit privati hominis nomen, supra Principis attolli.* * Casman. *Miser est Magistratus, qui non Judicij proprij lance librat consilia data, & dictas sententias, Videt oculis, at non suis: audit auribus, at alienis: utitur quidem judicio & ratione, at aliorum: servum pecus potiùs, quàm gubernatorem dixeris.*

*lib. 44.

* Casman. vitæ Politicæ c. 17.

* Vitæ Politicæ c. 23.



EMBLEMA

# EMBLEMA XXVIII.

## SINE HOC FRUSTRA.



*ARdua Consilij si quis momenta requirat,*
*In Duce sint fortinum potiora manu?*
*Si conjuncta adsunt meritò laudantur; & illud*
*Principis eximij: militis hoc opus est.*
*Cui non est robur, vel firmæ in corpore vires:*
*Consilio victor sæpiùs esse solet.*
*HOC SINE Dux belli FRUSTRA tentare quid ausit:*
*Vis vana est, quam non Mens Ratioq; regit.*

REmpublicam Romanorum CONSILIO & ARMIS crevisse, nemo est adeò peregrinus in lectione historiarum, qui nesciat. Consilio tamen & Prudentiâ semper potiorem extitisse: bella & actiones suas feliciùs perfecisse, extra controversiam quoque est. Quam quidem Prudentiam, non solùm factis: sed varijs etiam tabulis & picturis, ut perpetua & firma posteritati ejus extaret certitudo, exprimere conati sunt. Inde Mercurij & Martis in unum corpus conflatum simulachrum; Duæ aræ conjunctæ; Duo conjuncta delubra; nihil aliud significarunt, quàm Mercurium, id est CONSILIUM ac INGENIUM, ita Marti ac bellico studio necessarium esse: ut unum ab altero citra dispendium alterius avelli non possit. Sic Poëtæ Palladem ex Jovis cerebro natam, hastâ, clypeo, gladio cinctam finxerunt, quo tempore pluit auro in Rhodiorum insulâ: quâ fabulâ id docere voluerunt, omnium bellorum, armorumq; felicitatem, ac prosperum successum à Consilio atq; Prudentiâ proficisci & manare: atque ideò Consilium ante res Bello & Pace suscipiendas imbibendum & perpendendum, ut inde nascatur Sapientia, quam sequitur FELICITAS, & defensio tutissima rerum singularum, tùm TRANQUILLITAS, quam Sapientia tuetur in rebus humanis: quandoquidem Sapientem nemo fallere, aut imparatum unquam invenire possit: nec eidem quicquam accidere queat, quod non accidisse, aut accidere potuisse vel posse putet. Quàm verò necessarium sit Consilium, in rebus tàm privatim, quàm publicè instituendis & exequendis, ipsâ experientiâ, rerum & vitæ magistrâ cottidiè docemur. An non earum rerum omnium, quæ domi, quæ foris, quæ in Curiâ, in judicijs, in contractibus, ac vitæ civilis societate & commercio versantur & agitantur; omne robur & nervus, omnis ratio & salus, IN prudente CONSILIO, tanquam in firmissimo præsidio consistit? Videmus sanè, quæ temerario ausu & celeritate, non deliberato priùs animo, aut rerum momentis ponderatis suscipiuntur, quanta damna, turbas & exitia parere soleant. Sed tantò felicior Respublica illa, tantòq; beatior æstimanda, quantò Prudentiorem, Ingenio ac Consilio præstantiorem

Natalis Comes Mythol. lib. 2. c. 1.

rem

rem habuerit Principem. Id vel in eo, qui in Navi clavum tenet videre est: qui, quantumvis loco non moveatur, nec remiget, nec vela seu rudentes curet, nec alia quævis nautica officia obeat: plùs tamen ad navis conservationem in tempestate confert, quàm cœteri: Ita in Republ: Princeps, qui ex Consilio & Prudentiâ omnia facit, multò plura & feliciora, etiam sedendo & quasi quiescendo efficit, in conservandâ & defendendâ Repub:, quàm foris militum turmæ, & cohortes armatæ. Exemplo esse potest (pace aliarum Rerumpub: magnarum dixerim) Respublica VENETORUM florentissima, quæ prudenti suo consilio bella avertere novit: Aut, si suscipienda aliquando fuerunt, habitâ priùs consiliorum ratione, non infeliciter pugnavit. Pacis verò tempore omnia Consilio maturo sic moderatur; ut Respubl: aliæ meritò exempla felicis gubernationis inde petere possint. Cumq; in militaribus negotijs ita sit comparatum: ut bis peccare non liceat, quoniam regressus ad corrigendum vel emendandum, sine insigni damno non datur: semperq; periculum & strages, Errori in bello advigilet: quis non videt, plùs in Consilijs, quæ rectâ ratione, non celeritate nec temeritate suscipiuntur; quàm in armis momenti & potentiæ esse? Illa enim, quomodo Bella, & quibus ex causis suscipienda, gerenda & finienda sint, ostendunt: Hæc verò, quæ illa jubent, tantùm exequuntur. Atque ut animæ actiones, corporis nobiliores ac præstantiores sunt & habentur: Ita Consilia, quæ animi recti sunt, & inde proficiscuntur, armis potiora censentur. Si Minutius ille Romani exercitus ductor, Fabij Maximi consilium sequutus fuisset, nunquam tantam cladem Respub: Rom: accepisset. Cùm Livius. contrà Quirites; Sabinos, Fidenatos, Vejentes, Albanos, Volscos, Clusinos, & alios, consilio magis, quàm armis mœnibus suis pepulerint. Jul. Cæsar fatetur Barbaros armis fuisse plurimos: consilio Romanos vicisse. Carthaginenses Duces suos, etiamsi fortunæ benignitate res suas administrassent, cruci affigi solebant, nisi præmissâ diligenti consultatione, negocia sua perfecissent: adeò *Nihil sine Consilio in bellis geri oportere* censebant. Huc pertinet Sap. 6. *Si delectamini sedibus & sceptris, ô Reges populi, diligite Sapientiam.*

*Sapientiam, ut in perpetuum regnetis.* LUDOVICUS III Imp. Symboli loco usurpavit. MULTORUM MANUS, PAUCORUM CONSILIUM. Nam ut ille ait

*—— non solis viribus æquum*
*Credere, sæpè acri potior Prudentia dextrâ.*

Hæc duo tamen conjungi oportet, (quoniam Consilio solo ab inermibus bellum non conficitur: & Armis, sine consilio malè pugnatur,) ne aut virtus desit Militi; aut Consilio Prudentia. Hinc Emblematis ratio patet. Serpens enim gladio & sceptro circumvolutus, Prudentiam & Consilium in rebus quibusvis agendis notat. SINE HOC enim FRUSTRA, quicquid suscipias perficiendum, aggrederis: Prudentia quoniam præsentia ordinat, futura providet, præterita recordatur. Consilium, circumstantijs rerum consideratis, quod è re sit faciundum monstrat. Rectè * Cic. *Non viribus, aut velocitatibus, aut celeritate corporum, res magnæ geruntur: sed consilio & auctoritate.* Et * Salustius. *Atq; ego multa legendo, atq; audiendo ita comperi: Omnia regna, civitates, rationes, eiusq; prosperum Imperium habuisse, dum apud eos vera Consilia valuerunt: ubi gratia timor, voluptas ea corrumpere, statim imminutæ opes, deinde ademptum Imperium; postrimò servibus imposita est.*

* in Cat. maiore.
* in Orat. ad Cæs.



EMBLEMA

# EMBLEMA. XXIX.

## TRAHOR VOLENSQUE SEQUOR.



*SUbposito tereti ligno vestigia truncus*
*Ducentis, sequitur sponteq; viq; viri.*
*Consilio prudens solet haut obnitier aequo.*
*Quin magis illius pondera recta sequi.*
*Principibus semper nec commendabile cense,*
*Arbitrio alterius fingere cuncta velint.*
*Solis summa rei sic decernatur agendae;*
*Svadeat alter: at hi quae facienda, sciant.*

PYrrhus, magnus ille Epirotarum Rex, Cyneam Philosophũ & excellentem Oratorem, non solùm magni fecit propter eruditionem, & alias virtutes: sed eum quoq; sibi familiritate adeò divinxerat propter Eloquentiam, ut aliquando diceret: Se Dijs immortalibus gratias agere, Primò; quòd se Regem, non subditum creavissent: quòd munus â DEO homini majus vix dari, aut concedi possit: quòdq; libertatem haberet multis populis imperandi; se autem nulli ad obediendum obligatum esse. Secundò: quòd sibi COR & Pectus generosum indidissent, quod neq; fortunæ adversæ casibus; neq; ullis molestijs ad ægritudinem animi moveretur. Nam hominem, qui qualibet etiam minimâ molestiâ offenditur, aut turbatur, (quandoquidem ad mala potiùs in hoc mundo perferenda est natus) præstare ait, statim mori; quàm adversis torqueri. Deniq;, quòd sibi Cyneam in Republicâ gubernandâ: & in bello negotijs gravissimis expediendis, socium & Collegam concessissent: Quandoquidem lingua ejus svavis, & Eloquentia diserta, urbes multas expugnasset, quas Armis sibi subjugare non potuisset. TRAIANUS Imp: Philosophos, qui tùm temporis Romam confluebant, maximo in precio habuit, ac honoribus affecit; imò è longinqũis regionibus magno stipendio conductos evocavit: tantiq; fecit, ut DIONEM in curru triumphali secum veheret. Nec immeritò id fecit. Cùm enim duplex ratio temporis sit consideranda: alia Pacis; alia Belli. Principi quoq; aliâ Prudentiâ in bello gerendo; aliâ in tranquillo Reipubl: statu opus est. In hoste vincendo, & bello feliciter ac laudabiliter conficiendo, Imperatore & Ducibus strenuis ac fortibus, necnon peritis utendum. In pacatâ verò Republ:, doctis & prudentibus viris, negocia utiliter expediunda, rectè committuntur. Hoc duplici hominum genere, nullus Princeps, nulla Respublica carere potest. Cumq; duo in Principe considerantur: DIGNITAS & AUTHORITAS OFFICII; & NATURA IPSIUS: Fieri potest, ut sit bonus per se; & malus respectu Imperij, & contrà. Quòd si privatus quispiam sit malus, sibi tantùm nocet: At Princeps malus, & sibi & alijs nocet. * Atque ut homo, cùm venenum ejus

*Autor della

totùm

totùm corpus occupavit, vitæ periculum vix effugit: Ad eundem modum, cùm Princeps in Republ: ex plenitudine suæ potestatis sibi omnia licere putat: non solùm sibi ipsi nocet: sed vitâ suâ perversâ, Reipub: idem malum infundit, eamq; pessundat. Quòd si verò medicos excellentes & peritos, ad depellendos morbos summâ diligentiâ conquirimus: cur & Principes, viros prudentes sibi non adjungant, qui morbos Reipubl: curare & sanare possent? Atq;, ut olim * leges medicis illis pœnam statuebant, qui ex imperitiâ ægrotos internecioni darent, vel saltem ex negligentiâ deserrent. Sic & Principes olim Infamia, quæ satis pœnarum loco est, manebat, quòd malè rem administrassent. Quamquam autem hodiè Principes bonos, Reiq; publicæ commodorum amantes ac studiosos, DEI gratiâ videamus, qui in aulis suis, in Curijs, in Judicijs, ac officijs Viros & genere & virtutibus præstantes, literarum & Armorum scientiâ celebres, magnâ cum suâ laude, Reipub: bono & utilitate alant, & sustentent: atq; nihil sine Consilio eorum suscipiant tractandum, aut definiendum: (quod maximum bonæ mentis in Principe censetur argumentum:) attamen nec ij omninò has partes supplent; qui vel negociorum pondere fracti: vel aliâ quapiàm vitæ quietioris ex causâ, Uni tantùm Reipubl: summam, & negocia expediunda, pro arbitratu ejus, committunt: ab ejusq; voluntate & consilio toti dependent, quasi ipsi ex sese nihil promere possint, quod ex usu & commodo sit Reipublicæ, quod sanè cùm faciant, ut non est semper tutum: ita Principe prudente indignum! * *Tanta* enim *est insolentia animi hominis, ut si quid ex suâ sententiâ & voto sibi succedere sentiat: spiritus mox altos concipiat; plusq; sibi licere interdum autumet, quàm fas est.* Adde, quòd alijs hac ratione Spes emergendi præcidatur; & studium, animum ad egregia facta excitandi, infringatur. Metuendum tandem, ne talis insolescens, Principem despiciat, eumq; periculis intricet ac involvat: cùm scit eum à suâ voluntate pendére. Id sanè utile & laudabile: ut Princeps in Consilijs, postquam aliorum sententias & suffragia cognovit, si ipse statim sua promere non possit: ad tempus aliud vel breve differat ac reijciat: suamq;

Institutione del Principe Christiano.

* Vide Speckkan. quæst. Iur. cent. I. quæst. 24.

* Dion.

ſententiam intimo ſuo Conſiliario, quid tandem faciundum exiſtimet, aperiat: ne unius voto adhærens, reliquorumq; voces contemnens, & ſibi odium, & Reip: detrimentum accerſat. Olim Galbæ objectum fuit, quòd ab unius voluntate penderet. * Sveton. *Regebatur* ( Galba ) *trium arbitrio, quos unâ & intra Palatium habitantes, nec unquam non adhærentes, Pædagogos vulgò vocabant:* cum quo congruit illud.

*c. 14.

*Haut commendabile, ſi Princeps ab uno*
*Ducitur, ut nervis alienis mobile lignum.*

Emblema autem hoc, Principem bonum & prudentem denotat, qui Rempub: ſuo conſilio, ſanisq; rationibus, nolentem trahit, ejusq; partes rectis conſilij momentis, quæ per ſubjecta trunco ligna intelligo, quò vult ducit. Fit enim, ut mens noſtra primâ fronte bonis ſæpè conſilijs non acquieſcat: ſed tandem rationibus edocta, ultrò eadem amplectatur. Per truncum autem Rempubl: innuo: quæ ſanè immobilis cenſetur; niſi prudenti conſilio Principis ac Procerum regatur. Huc facit, quod Onoſander ſcribit in ſuo Strategico c. 3. circa finem: *Neceſſarium eſt aut eum, qui cæterorum omnium conſiliis fidem ſemper habet, ſuis nunquam, multa ſæpè inutiliter peragere: aut neminem unum, præter ſe, audit; ſæpenumero multa quoq; peccare.*



EMBLE-

# EMBLEMA. XXX.

## JURE LÆDITUR.



NEc Solis lumen visu est penetrabile: regni
    Nec secreta, Ducum cuilibet acta patent.
Jacturam veluti meritò fert luminis; orbem
    In Phœbeum oculos figere qui satagit.
Sic abstrusa volens scrutari consilia, ipsâ
    Quæ tractant populi ex utilitate Duces:
Jure subit vitæ discrimina. Res sacra namq;
    Consilium. nemo hoc quære, sciensq; tege.

APud Locrenſes legem latam fuiſſe ſcribitur: ut Civis pœnam ſubiret, qui interrogaſſet in foro, Quid novi? Hujus quidem legis ratio non injuſta conijci poteſt: ſcilicet, quòd Curioſorum ea ſit natura & conſvetudo, ut proprias res domi negligentes, aliena curent: ac de aliorum negocijs magis ſolliciti, quàm ſuis, majora ſœpè moveant & inutilia, quàm opus eſt. Qui enim curioſus, idem & injuſtus eſt: Ut igitur quisq; rei tantùm ſuæ, domi intentus eſſet; animumq; ab alienis ad propria revocaret, hac lege Locrenſes cives ſuos in officio retinere voluerunt. Videmus autem plurimos ingenij eſſe inquieti adeò, ut quamvis poſſent; ab alienis tamen factis inquirendis, & quid quiſq; vel domi, vel foris agat, aut moliatur, abſtinere nolint: & ſic metas officij ac vocationis ſuo maximo cum periculo, imò vitæ diſcrimine, ſœpè egrediuntur. Quod cùm per ſe turpe, & civem bonum non deceat, nec non triſtes pariat eventus: tùm viro in Republ: verſante, aut verſaturo omninò indignum. De Phaëthonte * Ovid. fabulatur: eum ardore juvenili, & curioſâ cupiditate currus paterni gubernationem appetiviſſe: qui paterni moniti immemor, cùm ultra metas longiùs eſſet progreſſus, magnis excidit auſis, & totam rerum naturam flammis involvit. Quid aliud Poëta ſignificare voluit, quàm πολυπραγμοσύνης, & arrogantiæ pœnas eos plerumq; dare ſolere, qui extra & ultra vocationem ſuam, & officij limites, majora viribus ſuis aggredi tentant. Quòd ſi verò privatis aliorum rebus & negotijs nos non ingerere, ſed in proprijs aſſidui ac induſtrij eſſe debeamus: Multò minùs Conſilia & arcana Principum, quæ ipſi ſuo in ſinu tecta, & quaſi ſepulta occultant ac fovent, indagare debemus: quæ neq; ſine ſummo noſtræ exiſtimationis diſpendio inquiri: neq; ſine maximo periculo evulgari poſſunt. Suo fato * vir quidam doctus docuit, πολυπραγμοσύνην eſſe fugiendam, hoc diſticho, ante ſupplicium prolato.

* lib. 2. Metamorph. & Lucian. in dialog. Deorum.

* Ioh. Funccius Regiomonti a. 1566. capite plexus.

*Diſce meo exemplo mandato munere fungi:*
*Et fuge ceu peſtem* τὴν πολυπραγμοσύνην.

*Animi hominum ignei ſunt,* inquit Seneca; *ideò ſurſum tendunt, nec unquam quieſcere poſſunt.* Hinc fit, ut multi naturâ ſuâ ambitioſi,

tiosi, regnandi cupidi, & ardua semper appetentes. Cavendum autem est talibus: ne, dum fiduciâ vel Sapientiæ, vol potentiæ, magna tentare conantur, in ipso exordio & limine impingant, ac magnitudine ejusdem rei opprimantur. Neq; enim Solis medium orbem intueri, citra oculorum læsionem; neq; ignem nudis manibus attrectare sine dolore licet. Et * quemadmodum ij, qui aconiti Naturam gustando scrutari volunt, priùs mortem oppetunt, quàm sentiant saporem: Ita qui Principum arcana curiosè indagant, aut rimantur, sæpè priùs vitæ jacturam faciunt, quàm id, quod quærebant, scrutando adsequi, aut cognoscere possint. Hæc enim est Principum natura, ut quæ ad splendorem sui, aut Imperij instituant, omnibus patere patiantur: quæ verò soli secum circumferunt occlusum, id nulli cognitum esse velint. Atq;, ut præsente domino & invito, nemo thesaurum absconditum impunè eruerit: Ita secretum Principis nemo unquam sine periculo suo, & gravi Principis offensione scrutatus fuerit: quæ antequam ad effectum perducantur, evulgata nolunt. Cæcilij Metelli vox celebris, juxta ac laudabilis, qui dixit: *Si scirem hanc vestem consilij mei consciam esse, protinus eam exuere, & in ignem conijcere vellem.* Rectè * ille: *Consilia Principum, dum occulta sunt, cuniculorum more, maximos producunt effectus, quæ detecta, vim omnem amittunt.* Et * Tacitus. *Abditos Principum sensus, & si quid occultius parant, exquirere illicitum, anceps, nec ideò adsequare.* Nemo igitur, præsertim ij, qui gratiâ Principum gloriantur, ne dum ab hoc bono remoti, Sacellum Consilij arcani accedat, nisi vocetur. vocatus si fuerit, frena linguæ ponere meminerit: illudq; cogitet apud se sedulò, quod * Horat. canit.

*Arcanum neq; tu scrutaberis ullius unquam:*
*Commissumq; teges, & vino tortus & irâ.*

Persæ laudem merentur, apud quos olim nemo consiliorum particeps erat, præter Optimates, taciturnos & fidos, apud quos etiam *Silentij Numen* colebatur. Imò veteri eorum disciplina, arcana Regum vitæ periculo custodiri sanxerunt. Apud Romanos consiliorum renunciatores, aut vivi exurebantur, aut furcâ suspendebantur.

* Lenccius in obs. polit. obs. 156. ex Plutarch. de Curiosit.

* Zecchius de Principe.

* lib. 6.

* 1. Epist. 18.

debantur. l. ſi quis, ff. de pænis. Emblematis autem ſenſus is eſt. Ut vir audacter potiùs, quàm tutò ſolem intuens, radijs ejus oculorum dolorem, & viſus privationem ſibi accerſit: non ſolùm enim radij pupillam lædunt: ſed ſi intentiùs, quod naturâ nòn datur, eoſdem ſuſtinere quis vellet: penitùs acie oculorum privaretur: Ad eundem quoque modum, in indagandis ſcrupuloſiùs Principum arcanis ijs accidere ſolet, qui antequam ea penitùs cognoſcant, priùs bonorum jacturam, imò vitæ ſubeat. atque ut ille JURE LÆDITUR, quòd quæ ei natura perferre negavit, tentare auſit: ſic & hi pœnas ſæpè incurrunt meritas, qui abſcondita Principum ſenſa expiſcari, aut eorum conſilia perſcrutari ſatagunt.



EMBLE.

# EMBLEMA. XXXI.

## TALIBUS AUSPICIIS.



DUx prudens, Miles, numata potentia, fortes
Evertunt arces, mœnia celsa, viros.
Præsertim plenis ubi fraude pecunia saccis
Attentat vires exeruisse suas.
Ipse sequax hostis manibus post terga revinctis,
Subijcit insveto colla superba jugo.
Quæq; nequit ferro Mavors superare cruento:
Cuncta sub Imperium hæc absq; cruore rapit.

IN Consilijs, quæ de rebus gravissimis instituuntur, præsertim, in quibus Reipub: commodum vel periculum versatur, duo consideranda sunt. Executio Consilij, & modus ejusdem exequendi. Parum enim est, ut Princeps bona Consilia percipiat: nisi quoq; instrumēta habeat idonea, & ad exequendū sufficientia: nec sufficit instrumenta comparasse, nisi ijs rectè, & ex utilitate opportunè uti sciat. Quod cùm in rebus omnibus pacis tempore observandum; tùm in Bello apprimè. Nam cùm bella sive ea justa, sive injusta fuerint, multa requirant & desiderent: quandoquidem non solùm prudenter suscipi; sed etiam continuari feliciter, ac finiri fortiter debeant: tùm Principi in eam curam incumbendum est maximè, ut maturo consilio, de Bello gerendo, suscepto: tùm fine, propter quem illud suscipiat, benè considerato, Instrumenta & adjumenta sibi maturè comparet: ne, cùm maximè ijs opus habeat, in ipso limine victoriæ speratæ, & gloriæ ex eâ acquirendæ, summo cum dedecore & periculo destituatur. Sunt autem illa præcipua, PECUNIA & VIRES. Illa adeò necessaria est, ut quemadmodum corpus sine nervis cohærere, & Homo, sine anima & sangvine, in quo, attestante scripturâ, anima est, vivere non potest: Sic sine illâ, vita hominum, societates, & commercia ægrè consistunt. Pecuniam omnes facimus Dominam, quæ, secundum Horat. & genus & formam donare potest: huic servimus omnes: huic palmam tribuimus omnes: quicquid eximium, quicquid splendidum, quicquid venustùm, quicquid gloriosum hominibus contingit, id à solius pecuniæ beneficio proficiscitur: huic Imperatores, Duces, victas manus porrigunt, huic arces munitissimas resignant: castella tradunt: urbium portas aperiunt: huic venienti muri sponte cedunt, turres se inclinant: nec est quicquam vel naturâ, vel arte adeò munitum, quod eâ ipsâ expugnari non possit. huic tot millia hominum sua vota nuncupant: hæc ex amicis inimicos; ex inimicis amicos facit. Ad summam: Res humanas pro lubitu fingit atq; refingit: & ut Plin. ait: *Aquæ quoq; separantur: & ipsa naturæ Elementa pecuniæ vi discreta sunt.*

Opus sunt opes, & sine iis nihil fiet, quod opus.

*Numus*

*Numus honoratur, sine numis nullus amatur;*
*Numus ubi loquitur, Tullius ipse tacet.* Persius.
*Quisquis habet numos, securà naviget aurâ,*
*Fortunamq; suo temperet arbitrio.*

*Facetè Menand. Epichar. DEOS, ajunt, *esse ignem, Solem, Terram, aquas, ventos, stellas: Ego verò utiles* DEOS *sum arbitratus argentum & aurum nostrum; Ubi enim ea in ædibus collocaveris, precare quodvis, omnia dabuntur tibi: ager, domus, famuli, argentea vasa, amici, Judices, testes, duntaxat largire: nam ipsos* DEOS *etiam habebis obsequentes.* Philippus Macedo dicentibus exploratoribus, castellum, quod expugnare nitebatur, esse naturâ munitissimũ, neq; adiri posse. *An ita difficile accessu esset,* interrogavit, *ut ne asinus quidem auro onustus adire posset?* *T. Quintius Philopomeni Achæorum Duci multos equites & armatos habenti, pecunijs tamen indigenti, jocabundus dixit. *Philopomenem & manus & crura habere, sed ventrem non habere*; allusit ad pecuniam, quæ bellorum nervus est. Suadentibus Demadi Atheniensibus, ac jubentibus, ut deductas triremes, nautis militibusq; compleret, cùm pecunias nullas haberent; *Omnino,* inquit Demades, *primùm pecuniis opus est.* rectè hic sensit. Ex historijs enim compertum est, atq; ita experientiâ docemur: *Magnum exercitum sæpè aliquid egregij præstare potuisse, quem pecuniæ penuria distraxit, atq; ad partes hostis pepulit.* Eò enim milites animum & voluntates, armaq; sua inclinant, ubi non solùm opima præda exspectatur; sed ubi spes affulget certa stipendiorum solvendorum. Ac veluti Nauclerus, Navim non priùs mari & ventis committit, quàm omnia instrumenta nautica ad navim necessaria sibi comparaverit: tùm de victu, & quæ ad sustentationem vitæ pertinent, sibi providerit: Sic quoque Prudens Princeps primùm de pecuniâ sufficiente sibi colligendâ, sit sollicitus: tùm de Imperatore seu Duce exercitus perito; nec non validis & in bello expertis militibus. Sæpè enim sub Duce imperito, exercitus, & tota summa belli, magnâ cum infamiâ & dispendio hominum ac Reipub: perijt. De modo exequendi Consilij plura essent scribenda: in alium locum reijcio.

*Canon herius in Corn. Tac. dissert. Polit. lib. 1. fol. mihi 197.

*Bruson. lib. 5. c. 10.

Sæpiùs penuria, quàm pugna consumit exercitum.

Quoniam verò Pecunia cum Viribus conjùncta, Vim omnem superet: hisq; duobus, etiam ipsa Natura rerum cedat oportet. Ideò Emblemate hoc docere volui, ut in Consilijs, non tantùm id spectetur, quod honestum: sed quod facile, & quibus adjumentis res perfici possit. Non est sanè, ut quis auspicia alia, (divinam hinc gratiam, quâ omnia consilia nostra, atq; auxilia stant, excipio,) certiora & firmiora præsidia, quàm duo hæc exquirat. TALIBUS AUSPICIIS dico, quicquid tentaveris, absq; dubio, fœlicem voti tui finem adsequére. in hanc sententiam olim lusi.

*Et format mores aurum, & connubia jungit,*
*Aurum jus, leges, Curia & aula colunt.*
*Aurum cuncta timent; quisq; auri numen adorat.*
*Auro venalis styx mare, terra, polus.*
*Et miramur adhuc se auro submittere cunctos?*
*Cum regat Imperio, cuncta sub orbe, suo.*

Huc facit Tacit. *Non ignaviâ magna imperia continentur, sed virorum armorumq; faciendum certamen.* Liv. *Agendo audendoq; res Romana crevit.* Thucid. *Pleraq; belli res conficiuntur pecuniâ & consilio.* Item: *Bellum est non in armis maximè, sed in expensis & sumptibus, per quos efficacia arma & utilia evadunt.* Xenophon. *Brevi ejus ducis imperium peribit, cujus culpâ exercitus caret rebus necessariis & commeatu.* Procop. de bello Goth. lib. 3. *Pecunias qui non ad necessitatem sit consecutus, bellum (ut reor) gerere nunquam satis commodè poterit.*



# EMBLEMA. XXXII.

## NUNQUAM SAT CAUTE.



*Vix rerum eventus Prudens benè prævidet omnes,*
*Et sua Consilio dirigit acta bono.*
*Subdolus interdum quin hæc perverterit Error:*
*Ac sors prævisas fregerit arte operas.*
NUNQUAM SAT CAUTE' *facienda peregeris: ipsi*
*Cautio sit major quin adhibenda rei.*
*Fraus quoniam factis Comes adstat, Corpori ut umbra.*
*Consilij autorem fraus premit ipsa mali.*

EVentus, cùm non ſint in noſtrâ poteſtate, non eſt, quòd Conſilia bonâ fide data, ſi voto noſtro non reſpondeant, culpæ adnumeremus. Nam quòd alij Fortunæ, aut Caſui, ſi quid præter ſpem & expectationem accidit, attribuere non dubitant: id neq; viro Sapienti, neq; Chriſtiano convenire affirmo: cùm illa in rerum naturâ non ſit, & ideò nec potentiam ſuam, atq; Imperium in humanas actiones exercere poteſt. Quin potiùs hoc ſtatuendum cenſeo cum * Camerario: à ſe & alijs magnopere decipi illos, qui tantùm intueantur & ſpectent exitum quarumcunque rerum, ac non potiùs elaborent, ut & Conſilia ineantur recta, vera, honeſta, laudabilia: & his conſentaneæ ſint actiones, juſtæ, ſtrenuæ, fortes, conſtantes, præclaræ; & ita eventus permittatur DEO, penes quem omnis poteſtas eſt, & conciliandi bona, & avertendi mala. Adde, quòd ſæpè in conſultando Juſtum & rectum, nec non honeſtum prætermittatur; ſolius utilitatis habetur ratio, quæ ſæpè cum turpi eſt conjuncta: non igitur mirum videri alicui debet, quòd eventum felicem Conſilia non aſſequantur, vel quod expectationi non reſpondeant; cùm finem ſibi alium propoſuerint, quàm par eſt. Quòd ſi verò felix eventus malè conſulta ſequatur, non tamen ideò laudari: nec ſi optima conſilia malus comitetur, ideò vituperari debet. Fit enim ſæpè, ut homines, qui alijs conſilia dant, ad rerum præſentium ſtatum, & fortunæ flatum, rationum ſuarum vela dirigant, & obvertant, qui maximè ab eâ falluntur. * Siramnes Perſa, cùm admirans amicorum unus ex eo quæreret, quî fieret, ut conſilia rationesq; ipſius præclaræ, non procederent feliciter, neq; proſperos haberent exitus: reſpondens, quia *Conſiliorum*, inquit, *meorum, ego ſum Dominus, ſed eventum domina eſt Fortuna.* Nihil autem juſtius eſſe poteſt, quàm, ut mala conſilia, mali eventus ſequantur; inq; autoris recidant caput, qui perverſè & fraudulenter, vel lucri causâ dedit. Probat experientia cottidiana id ita fieri; & exempla à mundi exordio demonſtrant, *nulli unquam feliciter ceſſiſſe, quæ malo & perverſo animo aggreſſus eſt.* Adde, quòd * audacia, temeraria, callida, præcocia, & ambitioſa conſilia, primâ ſpecie læta, tractatu

dura,

* In Coment. Non eſſe ex eventis de conſiliis &c: pronunciandum.

* Cam. ibid.

* Greg. Rich. in axiom. Polit. ax. 88.

dura, eventu tristia esse consveverunt! Consilium, quod * Jonadab Ammoni filio Davidis dabat, de vi comprimendâ sorore Thamar, etsi primâ specie blandicatur stultis affectibus: tamen exitu fuit tristissimum. Ludovicus II. Hungariæ Bohemiæq; Rex, cùm imprudentiore nescio, an inauspicatiore, vel temerario consilio, cum exiguâ militum tumultuariorum manu, contra Solymanni copias stare non dubitaret, propè Mohacium in rivulo miserè perijt, Anno ætat. 21.} * Sic Haman patefacto consilio suo de totâ Judæorum gente extirpandâ, pœnas meritas luit: de furcâ enim, quam Mardochæo erexerat, ipse suspensus est. Sic Perillus *2. Sam. 13. *Esther. 7.

*Ille opifex tauri, tormentorumq; repertor,*
*Qui funesta novo fabricaverat æra dolori,*
*Primus inexpertum, Siculo cogente Tyranno,*
*Sensit opus: docuitq; suum mugire juvencum.* *Claud:

De quo * alius hoc sensu. *Autor libelli Μικροκόσμου.

*Ille opifex Taurum desculpserat ære Perillus,*
*Auctori nocuit sed tamen illud opus.*
*Hunc etenim Siculo fertur donasse Tyranno,*
*Ingenio cupiens præmia digna suo.*
*Aspice dixit opus, latus est adapertile tauri,*
*Quo reus in flammas præcipitandus erit.*
*Non hominis poterit jactare ad sydera voces,*
*Si gemat aut clamet; vox erit illa bovis.*
*Tum Phalaris: melius quo munere munera pensem?*
*Ipse tuum præsens imbue, dixit, opus.*
*Protinus inventor Tauri carbonibus ustus,*
*Mugitus gemino reddidit ore bovis.*

* Eodem modo contigit cuidam Arnutio Paterculo, qui æneum equuleum ad excruciandos homines excogitárat. Multa præterea exempla Consiliorum malorum, quæ in caput autoris reciderunt, adduci possent; sed cùm sint obvia, lubens prætereo. adeò. *Camer. in oper. subcis. p. 1. c. 9.

*—— benè dispositum terris: ut dignus iniqui*
*Fructus Consilij primis autoribus instet.* *Claud.

Emblemate igitur hoc notare volui, Consilia prava, ipsos authores,

res, justitiâ vindice, ita innectere solere; ut cùm alijs nocere non
* Arcan. lib. I. possint, in se eventum seu exitum tristem experiantur. Ita * Ant. Mizald. refert: quòd Serpentes, inclusæ circulo herbæ Betonicæ, nequeant exire: quin se flagellando potiùs interimant. Serpentes verò prudentiæ (cujus pars est Consilium) Symbolum esse constat,
* Matth. 10. vers. 16. ex illo * Salvatoris. *Estote prudenter sicut Serpentes.* Versutia autem prudentiæ nomen sæpè induit, quâ mali sua consilia prava contegere consveverunt. Verumenimverò, justo sic DEI judicio fit, ut qui de aliorum salute intervertenda consilia init; de suâ sæpè periclitetur. Unde illud: Salomi: *Conatus meditantium perniciem, erunt irriti: qui verò bona consilia agitant, experientur be-*
Proverb. 16. *neficentiam & fidelitatem.* Item: * *Fodiens foveam, incidet in eam; & volvens saxum, in ipsum impinget.* Seneca, *autorem scelus repetit, suoq; premitur exemplo nocens.* Lucret: lib. 5.

*Circumretit enim vis atq; injuria quemq;:*
*Atq; unde exorta est, ad eum plerumq; revertit.*

* in Capt. * Plaut: *Qui cavet, ne decipiatur, vix cavet, quum etiam cavet. etiam quum cavisse ratus, sæpè is cautor captus est.*



# EMBLEMA XXXIII.

## SALUTE FIDES POTIOR.



*Iudex Imperij quicunq; capessit honores,*
*Officij debet sic meminisse sui.*
*Rumpat amicitiæ, quæ privus vincla gerebat,*
*Publica ne violet munera privus amor.*
*Esse etenim multis qui gaudet amicus amicis:*
*Sœpiùs à Recti tramite flectit iter.*
*Publica nempè fides potior propriâ esse salute* "
*Debet: & hanc summum sit violare nefas.* "

QUi ad Rempublicam accedunt, non ambitione, largitionibus, aut gratiâ populari: sed propter virtutem propriam, & prudentiam electi; considerare ante omnia debent, cujus personam sustinent, & vicem gerunt; quibus in rebus eorum versetur officium; & quo fine ad gubernacula sint vocati. Hæc qui nō benè apud se perpenderint; privatumq; bonum publico antetulerint, eos non modò summè injustos, ac tali regimine indignos esse: sed ipsam Rempub: per tales labefactari necesse est. Quoniam verò summi & justissimi Regis vices obeāt, apud quem nulla personarum acceptio est; se quoq; justè judicaturos meminerint: ut neq; favore, gratiâ, lucro, sangvinis vinculo, vel aliâ quapiam necessitudine motis, iniquum judicium ferant: maximè, cùm judicis sit officij pars potissima: secundū leges, non conscientiam, lites & controversias dirimere. Novell. 8. jusjur. quod præstatur ab his, qui admin. accip. (Nam & DEUS qui licet motuum cordis, & cogitationum cognitor sit, & καρδιογνώστης, Psal. 7. Ierem. 11. Matth. 6. text. in c. erubescant. 32. distinc. c. consuluisti. 2. q. 4. & quem nullum secretum latet gl. in authent. De Monachis. verb. testes. coll. 1. tamen ex suâ scientiâ neq; judicare, neq; condemnare voluit adulteram. Ioh. 8.) ut Respublica in tranquillo statu conservari; omniumq; in eâ salus, bona & commoda sarta tectaq; manere possint. *Judex* enim, ut * ICti verbis cujusdam loquar, *cùm sit persona publica, tenetur sequi publicam conscientiam, fundatam super eo, quod sibi constat ut judici, scilicet juxta ea, quæ probata sunt, non privatam sequi conscientiam in eo, quod scit ut privatus.* c. si sacerdos, de offic. ordin. Rectè * Plato. *Reipub: salus suprema Lex esto, & præcipuus scopus, quem sibi quilibet Magistratus proponat.* Cumq; Magistratus sit Custos legum; turpe sanè erit, eum in leges peccare, qui disciplinæ vindex severus est constitutus. Cùm Magistratus Pastores appellentur: iniquum erit, ut, qui à rabie luporum, id est hostium & inimicorum, commissum gregem defendere debent: ipsi eos devorent: & modis quibusvis, eorum bona ad se rapiant. Cùm deniq; communem Reipub: & subditorum salutem spectare debeant: quî fieri poterit, ut eorum consilia eundem scopum assequi possint; qui privatis affectibus inter se dissentientes,

l barbarus ff. de offic Prætor. c. 1 de re iud. not. in clem. 1. de sequestr possession. & fructu.

*Vide elegantem expl. nob. problematis. Vtrum iudex iudicare debeat secundū conscientiā, an secundum allegata & probata. Arnold. de Rayger.
* Plat. 1 de Repub: & Cic lib 3 de ll. ad Scip Amirat. Instit regia, lib. 2.

dissentientes, sæpè illa ex suo usu metientes, in diversas partes distrahuntur? unde quærelæ, odia, simultates, & ruina Reipubl. Laude digna vox illa * Plat. *Qui præsunt Reipub: utilitatem civium sic intueantur, ut quicquid agunt, ad eam referant, obliti commodorum suorum. Ut enim tutela; sic procuratio Reipublicæ, ad utilitatem eorum, qui commissi sunt, gerenda est.* Si verò utilitas communis spectanda est, non modò privata postponi: sed etiam affectus privatos, qui eam impedire viderentur, deponi oportet. Hinc P. Scipio Nasica, Patriam cognationi præferens, quicquid publicè salutare non esset, privatim alienum existimavit; ob quam virtutem, primus omnium absens, Pontifex Maximus creatus est. *Plaut. *Ne Magistratus pauciorum gratiam faciat pluris, quàm id, quod prosit pluribus.* Huc quoq; respexit Cæsar in suâ Oratione, ad suos legatos & Centuriones. * *Privatim*, inquit, *nemo omnium ita potest lætis rebus uti, ut non idem cum Repub: corruente pereat: At Respub: si prospero successu utatur, etiam privatorum omnes potest calamitates sublevare, quòd si nosmet ipsos unâ cum Repub: incolumes esse velimus: in eâ conservandâ, augendâ, & ornandâ,* (cum pars quoq; harum ad nos redundet,) *non privatis affectibus abripi aut duci: quin potiùs fide bonâ & pietate in eam instructi, pro virili quisq; eam juvare debemus.* In Ratisbonensi Curiâ hæc inscriptio legitur. Quisquis Senator Curiam officij causâ ingrederis, ante hoc ostium privatos affectus omnes abijcito: Iram, vim, odium, Amicitiam, Adulationem, Reipubl: personam & curam subijcito. Nam, ut alijs æquus, aut iniquus fueris; ita quoq; DEI judicium expectabis & sustinebis. *Laudabile hoc institutum quoq; habuit Rex prudentissimus Alfonsus. Dicere enim solitus fuit: si sibi contigisset nasci temporibus, quibus Romana Respublica florebat, se constructurum fuisse contra Curiam templum, JOVI REPOSITORIO, in quo, priusquàm venirent in Senatum Patres conscripti; Odium, Amorem, ac privatos affectus omnes deponerent. Ob id *Romani laudantur: qui Curiam intrantes, abjectâ privatâ charitate, publicam induebant. Sed hodiè illud

* Plat. de Repub:

* Plaut. in Trinumo.

* Cam. in op. subces. ex Dion. hist. Rom. lib. 38.

* Guicciard. in libello l'hore di ricreatione.

* Val Max. lib. 2. c. 2.

diè illud nimis vulgare: Proximus egomet mihi. *Nec quisquam est, tàm ingenio duro, nec tàm firmo pectore, quin ubi quicquam occasionis sit, sibi faciat benè.* Formulam Sacramenti Consiliariorum seu Senatorum, quod olim præstare tenebantur, cùm dignum sit lectu & cognitu, vide apud Camer. oper. subcis. cent. 1. c. 33. Cumq; plurimùm intersit Reipub:, ut fidos habeat Magistratus, qui non privatorum bonorum causâ, sed publicæ utilitatis gratiâ ad partes ejus gubernandas assumuntur: illis meritò commendata adminitio hæc esse debet.

* Cam. op. subc. cent. 2. c. 47.

** O consultores, rectos assumite mores,*
*Publica privatis præponite commoda gratis:*
*Ne damnet vestras animas divina potestas.*

Hoc igitur Emblemate, officium pij & fidelis Judicis vel etiam Magistratus, notare volui: cathenâ videlicet ruptâ: amicitiam quoque, quæ meritò hoc nomine appellari potest, quòd duorum pluriumve voluntates consensu eodem ligentur, non secus; ac vinculo quodam, rumpi in publicis consultationibus & judicijs debere: cùm his nihil magis adversetur, quàm privata charitas & utilitas. Bono autem Judici FIDES SALUTE propriâ POTIOR esse debet: tùm, quòd conscientiam eâdem DEO obligavit, & juramento, cujus testem habet DEUM: tùm quòd viro bono juris & Sacramenti religionem sequi, conveniat, etiã cum salutis dispendio. Ambrosius. *Bonus judex nihil ex arbitrio suo facit, & domesticæ proposita voluntatis: sed juxta leges & jura pronunciat, statutis juris obtemperat, non indulget propriæ voluntati, nihil paratum, aut meditatum domo defert. &c:* & paulò post: *In judicando magis cordi sit veritatis custodia, quàm obedientia voluntatis.* Qui igitur privatorum habet rationem commodorum, publica negligat oportet: qui verò publicorum curam agit, memorq; officij ac juramenti sui, ille nihil privatis affectibus indulgebit, quin ea faciat, quæ Fides ejus requirit, Respublica poscit, salus communis desiderat. Liv: *Privatæ res semper offecère, officientq; publicis consiliis.*

c. iudicet. 3. quæst 7.

EMBLEMA

# EMBLEMA XXXIV.

## VIRTUS VANA DOMAT.



*VIx fumus prodit, subitò si se exerat ignis:*
*Flammaq́ splendendi sydera luce petat.*
*VIRTUS VANA DOMAT, rebusq́ insigniter actis,*
*Invidiâ meritò, Gloria nata, caret.*
*Optat in Imperio cùm Princeps magnus haberi:*
*Sit citò, sed rectâ cum ratione, potens.*
*Hostibus existet sic formidabilis, ipsâ*
*VI invidiæ subitò spicula dira premet.*

NUlla est felicitas Principum, populi vel Reipublicæ, imò ne privati hominis; quam Invidia non comitetur. Sic enim in vitâ communi comparatum videmus, ut qui propter virtutes, & res præclarè gestas, vel ad honores & potentiam pervenerunt: vel alijs fortunæ bonis conspicui extiterunt: semper malevolorum Invidiæ exponantur. Nam cùm Naturâ sint rerum ac honorum cupidi, neque id, quod cupiunt, se assecuturos sperant; alios autem Virtutis auxilio & honoribus & opibus emergentes vident, stimulis invidiæ intra se agitantur: talibusque semper aliquid de existimatione detrahere satagunt: occultisque machinationibus ac insidijs felicitatem hanc subvertere conantur: quòd, cùm propter Virtutis præsidium, ad effectum producere non possunt, sese torquent, & non secus atque blattæ, quæ primùm materiam, ex quâ generantur corrumpunt, tandem hac deficiente, ipsæ intereunt: Sic & *Invidus alterius rebus macrescit opimis*, quæ ei causa perturbationis hujus fuére. Quo vitio etsi quidem omnibus temporibus nihil frequentius, nec magis usitatum inter homines fuit: ita his maximè, propter nimium, res acquirendi & habendi studium, nihil communius. Verumenimverò, ut *Sapientis est, omnes casus æquo animo ferre*: utque *prudentis est, malis & invidis cedere, non obniti*: ita eorum quoq; erit, quos vel virtus, vel fortuna supra communem aliorum sortem evexit paulò altiùs, malevolorum stimulis non commoveri: quorum vis tandem per se habescet. Nam *frustrà iis invidetur, quos* DEUS *& fortuna tegit.* Atque hîc duplex via & Ratio Invidiam evitandi notari potest. Nam Odium, propter Virtutem alterius natum, diù non durat: sed aut præsenti splendore atque potentiâ, & amplitudine rei patratæ supprimitur; aut sobrio moderatoque usu fortunæ lenitur. Res enim propter quas invidetur alicui; sive ex quibus Invidia oritur: plerumque sunt bona externa, quæ externè homini accidunt, eumque circumstant: ut Opes, Honores, amici, propinqui, Patroni, fama ex rebus præclarè gestis:

Lenecius in Obs. Polit.

rè gestis: & propter hæc & similia invidi cruciantur, quòd sibi talia desint; neque ea se indipisci posse sperant. Et non tàm personæ, cui res hæ adhærent, quàm rebus ipsis invidetur. Sed qui moderatè hanc bonorum felicitatem & copiam ferre nesciunt: ijsque inflati, insolentiùs sese erga alios gerunt, vel bonis his abutuntur, eos non immeritò Invidia premit, suisque spiculis torquet: quandoquidem sibimet ipsis hoc modo eandem conflent. Atque ut plerumque fieri videmus, quos externorum bonorum copia non tutatur, eos contemptui, atque alijs sexcentis incommodis exponi: Sic è contrario, omnia ijs ex voto fluere animadvertimus, qui Opibus, Potentiâ, Amicis, stipati incedunt, Invidiam & Contemptum, & quæcunque his similia sunt, eludere posse. Ex re igitur Principum duco, si Invidiam effugere velint, ut subitò Potentiam exerant in omnes partes: sed tamen cum ratione, ne ad Crudelitatem aut Tyrannidem vergat: hac enim ratione æmulorum invidiam comprimení, & contemptus securi, tutiùs Imperium suum ab eo vindicabunt. * Alij inferioris conditionis in Republ: & hoc observent: *Si ad honores aspirare, vel* "
*ad capessendas dignitates contendere velint, ut ab insigni & splendi-* "
*do aliquo facinore incipiant: eoq; Principi, vel Reipub: sese commen-* "
*dent. Sic enim ordientem, plerique tædio ac facietate consvetorum,* "
*promtè excipiunt: & celer splendidusq; impetus facilè Invidiam,* "
*quæ tardis illis remoram inijcit, absterret.* Ac veluti ignis fumum "
non prodit; ita neque Invidiam Gloria, si subitò, ac celeriter effulgeat: utque ignis naturâ semper sursum tendit, adjacentemque materiam adurit, & consumit: ita quoque Virtute partus honos, splendore suo Invidiam obfuscat; ut minimè fumus ejus malevolentiæque vapor sese exonerare possit: semperque ad ardua tendit. Ex quo Emblematis hujus sensus facilis apparet. Addidi Symbolum VIRTUS VANA DOMAT. *Tantùm*

*Id. in obs. Polit.


enim

enim *adversus Virtutem potest Invidia; atque adversus Solem nebula.* Ille enim radijs suis facilè hanc dissolvere, dissipare, ac propellere potest: non secus & Virtus Invidiam, Contemptum aliaq; facilè domat. quæ profectò Fumus sunt, & vapor, si cum Virtute, ejusque actionibus, & qui ex his gignitur Honore, conferantur.



# EMBLEMA. XXXV.

## CENSENDO RECENSE.



*TUrpis adulator, duplici & qui mente Vir audit,*
*Regibus & Regnis certa ruina cluit.*
*Laudat enim vitium; at quæ sunt confinia recti,*
*Insimulat vitij: crimine vera premit.*
*Interea regni, velutimus, commoda rodit.*
*Ac instar tineæ regia dona vorat.*
*Hunc Princeps vitet: non illi commodet aurem:*
*Si vitare malum, commoda ferre cupit.*

ADulationem blandam esse veneni cujusdam speciem, non immeritò quis dixerit. Ut enim venena, melle, aut aliâ quapiam re dulci oblita, ac nobis data, sine sensu nostro corpus occupant: tandemq; hominem interimunt: Ita quoque adulatio mentibus Principum blandis & svavibus verbis infusa: non solùm ipsos perdit: sed totam sœpè Rempublicam pessundat & evertit. Atque utinam eodem modo Adulationem Principes, atq; venena aversarentur; ab eaq; sibi caverent; omni procul dubio, Aulæ eorum saniores, & veritati magis faventes invenirentur. Sed nescio, quomodo in hominum animos adulatio sensim illabitur, propter ingenitum unicuiq; naturâ sui amorem: ut nullus tàm constans, cautusq́; sit, quin laudari velit, suosq́; laudatores & amet, & amplectatur. Quæ res cùm prudenti & Viro bono fugienda; tùm Princeps ab ea sibi maximo opere cavere debet; cujus in cubiculo Adulatio pro Veritate excubare frequenter solet. Nam, cùm in Principis judicio, voluntas multorum recumbat necesse est, ex quo & Amor & Odium derivatur: quâ ratione rectè de alijs judicare possit, non video! cùm assentatorū & adulatorum falsis persvasionibus sit corruptus: eaque solùm vera esse credat ac pronunciet, quæ illi suggerunt, & ingerunt: quod sanè genus hominum non modò pœnarum metu coërcendum est, exemplo Vespaniani & Titi, qui adulatores & Calumniatores publicè in Theatris cedere jusserunt: sed omninò ex aulis eliminandum: quod Domitianus fecit, qui ex Româ omnes assentatores & delatores ejecit: hæcq́; verba, sœpè usurpavit: *Delatores qui non castigat, irritat.* Invenias enim hodiè plurimos in aulis, qui, dum gratiam Principum aut magnatum venari, suumq; commodum quærere cupiunt: primùm animos eorum blandis verbis occupant & antevertunt. Deinde, alios, qui propter virtutem & merita digniores essent, quibus honores & opes, atq; alia, Principes largirentur, arte quadam veteratoriâ sic laudare sciunt; ut interea eos indignos tali honore innuere videantur: atq; sub officio amicitiæ hostilem præbent operam. Hinc fit; ut, dum ad Principum limina veritas non admittatur: nec ipsi dignos provehant:

Autor de Regis Instit: addit: ad Scip. Amirat. dissertat: polit. in Tacit.

Ad Scip. Amirat. idem autor, lib. 2.

Sveton in Domitiano.

nec

nec quid in propriâ aulâ agatur, ſcire poſſint. Quare non immeritò M. Anton. Gordianus Imp: Symboli loco uſurpavit: PRINCEPS MISER, QUEM LATET VERITAS: qui, cùm ipſe omnibus in locis publicè eſſe non poſſit, nec eum deceat, neceſſe eſt; ut aliorum verba audiat, ijsque fidem adhibeat & confirmet, ſive verè ea referantur, ſive falsò. Et

Infiniti ſunt errores, quos Pp. committunt propter adulationem.

*Cùm rerum nequeat fortaſſe inſpector haberi,*
*E' delatorum judicet ore bonos,*
*Quæq; expenſa putat, non nunquam falſa ſequatur.*
*Et minùs æquatâ cuncta bilance probet.*

C. Eraſm. Lieti.

Hinc de Ludovico VI Francorum Rege legitur, eum diſſimulato habitu frequenter turbæ ſe immiſcuiſſe, ut audiret, quæ de ſe dicerentur liberiùs: quò faciliùs & meliùs ſuis & Reipub: mederetur incommodis. * Ludovicum item XI Regem Galliarum aliquando dixiſſe fertur: Se in regno ſuo, & potiſſimùm in aulâ propriâ, abundare omnibus rebus, unâ exceptâ. Quam verò innueret rem, dum quæreret unus ex ſuis familiaribus aulicis, VERITATEM eſſe, reſpondit. Ac, ut ex re Principum eſt; ut habeant ſuos exploratores & Relatores certos, ſed veros, cùm ipſimet ubique locorum eſſe non poſſint: Sic delatoribus aures accommodare inconveniens & turpe. Inſignem Virtutem, ac regium judicium quis non cernat, in Iohan. Alberto Rege Polon: Is enim in more habuiſſe ſcribitur; cùm Adulator traducere aliquem apud eum volebat, ſtatim ei reſpondiſſe: Visne coràm hoc ipſum ei objicere? ſi aſſentiebatur, diem dabat: Sin ſecus, ne ampliùs nugari auderet, dehortabatur. Licinius Imp: aliàs vix laude dignus: ex hoc tamen eam meretur: quòd cùm turbam aulicorum auribus ſuis deſervientem; eosque publica bona arrodentem animadverterent, *tineas & ſorices Palatij* appellavit. nec immeritò! Nam veluti tineæ & blattæ in veſtibus, aut aliâ quapiam materiâ preciosâ naſcuntur, eamq; exedunt & conſumunt: Et, ut mures & ſorices, ædes, in quibus vel frumenti, vel eduliorum copia eſt, omnes angulos perreptant, & in cavernas ſuas auferunt: Sic quoq; adulatores, regum Palatia ſuis blanditijs, & venenatis ſermonibus

* Camer. in ſubciſ. hor. p. 1. c. 90.

implent, publicaq; bona, nihil agentes, aut ad Rempub: conferentes, arrodunt, ac de Principe vel Repub: benè merentibus, commoda præscindunt. Emblema igitur hoc, adulatores notat: qui non apertè, sed clàm Regum & Principum aulas, non secus, atq; mures ingrediuntur: semperq; aliquid bonorum secum auferunt. Utq; rapax vel potiùs furax est animal Mus: ita & adulatores blanditijs suis animos Principum delinire sciunt, ut inde commodiore occasione, aliquid bonorum ab eis auferre possint. Symbolum verò CENSENDO RECENSE, ex Senecâ sumptum est. Princeps enim familiares suos meritò censendo, qui digni sint beneficijs & gratiâ suâ, sæpè recensere debet: verosq; amicos à falsis, quales sunt Adulatores, susurrones & Delatores, exquisitè recensendo secernere. Quam in sententiam * Seneca rectè monet. *Adulatoribus ne latus præbeas, artifices sunt ad captandos superiores, par illis (etiamsi benè caveris) non eris. Sed mihi crede (proditione etsi non capiêris) ipse te trades. Habent hoc in se naturale blanditiæ: etiam cùm reyciuntur, placent: etiam exclusæ, novissimè excipiuntur.* * Alibi: *Adulatio, quàm similis est amicitiæ: non imitatur tantùm illam, sed vincit ac præterit: apertis ac propitiis auribus recipitur, & in præcordia ima descendit: & eo ipso gratiosa, quo lædit. Venit ad me pro amico blandus inimicus. Vitia nobis sub virtutum nomine obrepunt.* Sic Diogenes rogatus, quæ perniciſſimè morderet bellua: *Ex feris*, inquit, *obtrectator, ex cicuribus adulator.* Et hodiè videmus Laudenses ac Placentinos in aulis Principum primas partes tenere: Veronenses exulare. Nam Veritas odium parit. Sed

*Qui scit ad affectum apta referre, placet.*

A talibus autem sibi quisque caveat. Arrisones, arrosores: & ut Ovid: ait:

*Tuta frequensq; via est per amici fallere nomen;*
*Tuta frequensq; licet sit via, crimen habet.*

Vide Plin. lib. 8. c. 87.


* 3. nat. præfat.

* Idem. 6. ep. 45.

EMBLE-

# EMBLEMA. XXXVI.

## NEC PRECE NEC PRECIO.



*Vilescit sensim Majestas Principis, ultrò*
*Quando negat dignis præmia digna viris.*
*Præmia nam meriti precio cum pendit avarus:*
*Virtus languet, Amor friget, obitq; Fides.*
*Adde, quòd haut legum ratio, nec Juris habetur!*
*Quod quis emit, salvo vendere jure potest.*
NEC PRECE, NEC PRECIO *tribuatur summa potestas:*
*Justitiæ sanctus nam violatur honos.*

QUemadmodum Clementiâ & Liberalitate nullam esse potentiorem dotem in Principe; nullum firmius præsidium adversus malorum Odium; nullum efficacius instrumentum ad Amorem & Benevolentiam populi sibi conciliandam constat: Ita quoq; Avaritiâ & Crudelitate, nihil certius ad derivandum in se Odium, & Malevolentiam ejusdem. Nam sic in vitâ fieri plerumque videmus: ut si cui vel minimum beneficium præstemus: aut liberalitatis nostræ in aliquem exerceamus officium; ejus animum ad gratitudinem & amorem saltem tacitè nobis obligemus ac devinciamus. E contra quoque, qui irrogatæ à Principe pœnæ injustum modum experitur & sustinet: vel cui pars aliqua bonorum, quacunq; ratione adempta, aut imminuta est: is eum non potest non odisse, qui author adimendi extitit. Cara enim, & chara omnibus sua, & pro rebus non minùs ac vitâ sœpè dimicatur. Avaritia itaq;, cum per se sit turpis; tùm Principes, præsertim Christianos & bonos non decet. * *Neq; satis exprimi potest, quàm longè populi animos absterreat; nihil se boni sperare posse ab eo Principe, qui ad congerendas divitias, inopumq; proinde sanguinem exsorbendum proclivis est.* Præsertim verò in Magistratus officijs ac honoribus distribuendis id summè cavendum est: ne ex gratiâ, aut favore, divitiarum ac amicorum copiâ: sed meritorum pondere ac præstantiâ, Princeps dignis offerat ac tribuat officia: hoc enim modo, non tantùm Justitiæ leges servabit: amorisq; in se certum jaciet fundamentum: sed Virtute solà, officia & honores adipiscendi pluribus addet stimulos, imò legem. Æmulationi, Ambitui & Corruptionibus quoq; præcludet viam. Fieri aliàs non poterit, quin ij, qui largitionibus publica munera adepti, justitiam administrare debeant, sœpiùs in eam ipsam peccent; cùm secum reputent, quantam vim pecuniæ, pro consequendis honoribus profuderint, aut elargiti sint: ut eandem vicissim corradant. Id quod olim M. Aurel. Severus Alexand. sensit; qui Symboli loco usurpavit: QUI EMIT, VENDAT OPORTET. Item. *Fumo pereat, fumi venditor.* Optimè sensit Imperator iste prudentissimus ac justissimus: Justitiam incorruptè administrandam;

* Ioan. à Iesu Maria in Instit, Princ.

nistrandam; Judiciumq; exercendum: neq; dignitates & honores in Repub: ex gratiâ, sed virtute ac meritis distribuendos. Nam ubi Princeps sui potiùs, quàm populi commodi studiosus est, eosq;, qui divitijs, aut alijs fortunæ bonis magis, quàm virtute præstant, evehere contendit; facilè querelas, contentiones, inimicitias & id genus alia conflabit. Æqualitatis autem maximè debet servari ratio: ne scilicet, aut Census, aut Potentia, aut genus prævaleat: (nisi sint hæreditario jure familijs certis quædam prærogativæ:) sed ut peræquè pauperes ac divites, nobiles ac ignobiles justè judicentur. Ac veluti magnæ arbores, cùm securi à radice cæsæ, in terram cadunt, aliarum arborum ramos, & minora arbusta conterunt: Sic Potentum & excellentium Virorum in Republ: discordiæ, (quæ ex inæqualitate sœpè oriuntur) totam post se trahunt Rempub:, cui certè ruinæ, Pp. ipsi causa existunt potissima: quando avaritiæ vitio mentes eorum occæcatæ, Officia precio non virtute pendunt, quæ ipsi gerere non possunt, nec debent. * Imp. Severus cujus supra memini: Præfectos suos & prætores ex Senatus auctoritate constituit: præmonens Senatum, *invitis potiùs, quàm ambientibus Rempublicam committendam esse.* Maximè autem improborum Magistratuum & judicũ pecuniâ corruptorum, vindex fuit acerrimus, adeò; ut si quempiam eorum obvium haberet, oculum ei digito exsculperet. Idem quendam suum familiarem, qui hominibus persvaderet, se quidvis posse apud Imperatorem: atq; ita provinciarum, munerumq; publicorum nundinationes faceret, fumo suffocari jussit. Sed nec honores juris aut gladij unquam à quoquam vendi passus est:, nec rescripta & decreta sua à familiaribus, aut purpuratis suis venundari voluit &c: Quod & Imp: Justinianus innuit: cùm, *Ad regimina & dignitates non precium vel ambitio, sed probata vita unumquemq; provehere debere* ait: in l. fin. ad l. Jul repetund. & *Virtutum præmia tribui merentibus convenit.* l. fin. C. de stat. & imag: unde & Emblematis hujus ratio patet. Et non tantùm in pacato & tranquillo Reip: statu id observari; sed & in bellicis officijs ac honoribus valere debet. quod Romani olim observârunt. Sed M. Didium Julianum cùm esset opulentissimus ac pecuniosissimus, primus à militibus,

* Reusn in Symb. Imp.

imperium


imperium Romanum mercatum fuiſſe ſcribitur: licitante contra eum Sulpitiano intra caſtra, ſed eo rurſus pollicitante, *Omnia ſe daturum, quæ vellent*: quod cùm eſſet aſſecutus, Symboli loco uſurpavit: IN PRECIO PRECIUM. quod elegantiſſimè Reuſnerus reddidit. *In precio precium eſt. Sic non virtute poteſtas*
*Sæpiùs, at precio vænit, & ære fides.*

Sed ſi Rationem Ducem: ſi Sacræ ſcripturæ authoritatem ſequi velimus; non ex precio & gratiâ, ſed ex Juſtitiæ normâ jus reddere, ac dignitates in Republ: ex Virtute cujusq;, & meritis diſtribuere & captare debemus. Inſcriptionem ex eodem Symbolo ſumpſi. Sed quod olim Flaccus cecinit, id & hodiè uſitatum ubiq;.

*Virtus, fama, decus, divina, humanaq; pulcris*
*Divitiis parent: quas qui conſtruxerit, ille*
*Clarus erit, fortis, juſtus, ſapiens bonus & rex:*
*Et quicquid volet. &c:* Luſi in hanc ſententiam olim:

*Nemo hodiè genus unde, aut quis ſis quærit, abundans*
*Sed tantùm multo ſi ære crumena tumet.*
*Sis latro, ſacri legus, ſis fur, ſis turpis adulter:*
*Cùm nummos habeas, Prætor amicus erit.*

Huc facit Lamprid. in Alex. Severo: *Peſſimè*, inquit, *agitur cum eo regno, in quo præſides, præfecti, judices, non ad beneficium tantùm, ſed precij magnitudinem leguntur. Cùm neceſſe ſit, qui emit vendere, & qui rem familiarem emendis dignitatibus exhauſerit, alicunde lacunas ſuas implere.*



EMBL. X.

# EMBLEMA. XXXVII.

## DUM PROSIM.



*QUid raucæ vanâ ſtridetis voce Cicadæ,*
*Pro arbitrio regni verſo quod ungve decus?*
*Ipſi* DUM PROSIM: *noceam dum haut civibus: aurem*
*Præter veſtra meam, ut, vox, levis aura, volat.*
*Vulgus conſilij rationes ſæpè requirit,*
*Quæ Princeps regni pro utilitate capit.*
*Quàm temerè! tangit Populi quem cura, ſalutisq́,*
*Ipſius, prudens quod facit, omne facit.*

Vide Scip. Amirat. dissert. Polit. lib. 3. discurs. 7.

EO est ingenio vulgus imperitum: ut non modò ex suo genio & stultâ mente, Consilia & facta Principum metiatur, & quæ optimè consulta sunt ab eis, curiosiùs inquirat, & ad suas ineptas rationes, eadem contorqueat: sed etiam dicterijs & convicijs aggravare, quæ ipsi sanis consilijs agere & instituere decreverunt, haut erubescat. Quod cùm per se iniquissimum sit alijs conviciari: tùm privatos maximè dedecet, in arcana Principum suorum & Magistratus consilia, inq; factorum rationes inquirere. Sciunt enim Optimi Principes & Magistratus, quid eorum officium requirat: & quid è subditorum & populi sibi commissi, re esse possit: nec adeò temerarij: ut quicquam sine certâ ratione facere aut aggredi deberent: cogitantes, si non hominibus, at DEO aliquando factorum suorum se reddituros rationem. Attamen sic fieri videmus: ut licet benè consulta, optimum sortiantur eventum: nihilominùs vulgo displiceant: improbiq; semper, quamvis indignè, quod repræhendant, habent. Unde sæpenumerò contingit: ut Principes, quamvis ex certo & deliberato consilio quicquā susceperint, & gesserint, vehemētes intra se concipiant motus; nec non sæpè valde contristentur, cùm vulgus de rebus eorū benè gestis, malè sentire, easque iniquiùs interpretari animadvertunt: idq; cùm faciunt, tantò majorem de se, suisq; consilijs loquendi licentiam vulgo præbent: quantò vehementiorem propterea intra se conceperunt dolorem. Verumenimverò Princeps prudens suis rationibus & Consilio recto fretus, non solùm vanos populi rumores & judicia contemnet: sed fiduciâ Integritatis & Conscientiæ nixus, easdem obtrectationes in eum prudenter contorquebit: unde ipsi Gloria factorum constabit: populo autem pudor; & quod ipsi malevolè ac obstinatè crimen intentare haut erubuit, in caput recidet suum. Antigonus Rex exemplo esse potest, qui obtrectatorum calumnias & patienter tulit, & nihili fecit: audierat enim duos manipulares de se malè loquentes, quibus tantùm, *Longiùs*, inquit, *discedite, ne vos Rex audiat*. Idem quadam nocte, cùm quosdam ex militibus suis exaudisset, omnia mala imprecantes Regi, qui ipsos in illud iter, & inextricabile lutum deduxisset; accessit

Aquila non curat provocantem cornicem.

Seneca 3. de ira. c. 22.

accessit ad eos, qui maximè laborabant: & cùm ignorantes, à quo adjuvarentur, explicuisset: *Nunc* inquit, *maledicite Antigono, cujus vitio in has calamitates incidistis: ei autem benè optate, qui vos ex hac voragine deduxit.* Philippus Macedo convicijs à Nicandro lacessitus, plurimis illum cœpit donis honestare: quibus acceptis, cœpit laudare Nicander. Ad amicos igitur conversus Philippus inquit: Videtisne ergò nostrum esse, & benè & malè audire. Pisistratus Atheniensis Tyrannus, cùm in ejus crudelitatem ebrius conviva multa dixisset, irritantibus amicis ad pœnas de convivâ sumendas, dixisse fertur: Non magis illi se succensere, quàm si quis obligatis oculis in se occurrisset. Prudentia & facilitas Alcibiadis mihi laudanda videtur, qui Canem miræ magnitudinis abscissâ caudâ per urbem dimisit: hoc verò cùm multis stultum atq; ineptum visum esset, monentibus eum amicis, ac sermones, qui de eo circumferebantur, enarrantibus, ridens Alcibiades: *Sic*, inquit, *res ut intenderam, successit. Hoc enim Atheniensibus loquendi volui præbere argumentum, ut eos à pejoribus, quæ de me dicere audireq; soliti sunt, novis his rebus averterem.* Induant igitur Principes animum contra maledicentium tela fortem, confisi sui officij, ad quod à Deo vocati sunt, sublimitate: conscientiæq; scuto muniti, vulgi sibilos & susurros, inanesq; strepitus contemnant: neq; à scopo rectæ rationis; neq; à Consiliorum justè & sincerè susceptorum tramite unquam deflectant. Multi multa sentiunt, & pro suâ quisq; ratione judicat de publicis commodis. Sed Principis est, sibi constare: ac instar incudis duræ ictus sustinere; in quam cùm sagittæ maligni vulgi impingant, non tàm ei citò nocent, quàm ipsæ franguntur. FRANCISCUM I. Regem Galliarum verè regiè fecisse legitur: qui cùm vectigal gravius, forsan non sine Reip: necessitate, populo suo imposuisset; ac propterea plebs non solùm conquererentur: sed cùm ipse à suis Consiliarijs esset admonitus, quòd iniquè esset impositum: atq; ideò populus eum convitijs traduceret. Ille tantùm respondisse fertur: *Sinite eum loqui, ejus enim interest.* Nec minùs, cùm primos vulgi impetus sustinuit: id consecutus est, quod instituerat. Hinc ex præcedentibus,

Bruson. lib. 1. c. 16.

Guicciard. in libello, l'hore di ricreatione.


cedentibus, Emblematis ſenſus facilior. Aquilam enim unguibus ſceptrum tenentem, ſequè alis paullùm quaſi humo tollentem, Principem vel Regem intelligo, Reipub: adminiſtrationem pro rectæ rationis, & conſiliorum uſu inſtituentem; quorum altæ radices in mente ſuâ, & fidelium Conſiliorum fixæ, ſupra vulgi judicia ſemper emineant: Cicadas autem, vulgus eſſe imperitum noto. Ut enim Cicadæ æſtatem cantu tantùm tranſmittunt, quæ propter aſſiduam ejuſdem iterationem hominibus molæſtæ ſunt, & omninò contemnuntur: Pari quoque ratione, Principem, ad ejuſmodi Cicadarũ, id eſt, vulgi, præter inania verba, & convitia ſtridentis ſtrepitũ, animũ advertere non decet: quin potiùs eundẽ, ad ſublimia Imperij & Reipubl: negocia erigere: ſic enim & facilitate ſuâ malorum evincet ſtudium; & quæ, ſui erunt officij, partes explebit. Addidi Symbolum, DUM PROSIM. Multa quoniam in Republ: occurrunt, vulgo quaſi acerba: quæ, cur inſtituantur, ſuſcipiantur & peragantur, eidem non ſunt obvia: Conſilio tamen prudenti & ſalubri ſuſcepta, ipſo tempore jocunda fiunt Reipub:. Et veluti Medici, pharmacis quædam miſcent amara, etiam ipſo ægroto, primo guſto acerba: ſed quam ob cauſſam id faciant, & ſciunt, & ægroti valetudini conſulere cupiunt: Ita & Principes prudentes, ſæpenumerò populo quædam dura proponere videntur: ſed quæ temporis ſucceſſu uſum habent: nec curare debent, quid vulgus loquatur, DUM modò Reipub: PROSINT.

Philemon. *Nil ſvavius, nil docto viro dignius,*
*Convitiatorem quàm ferre: nam benè*
*Convitium qui diſſimulat, convitium*
*Convitiatori rependit maximum.*

Ep. 77. Seneca. * *Malis diſplicere, laudari eſt: Malè de me loquuntur*
*homines, quia benè loqui neſciunt; faciunt, non*
*quod mereor, ſed quod ſolent.*

# EMBLEMA. XXXVIII.

## TRANSEUNDUM.



*EXistunt densæ ceu furvâ nocte tenebræ,*
*Cùm Lux materiâ deficiente perit.*
*Non secus in regnis certissima signa ruinæ*
*Sic duo, si quis rem pensitet, esse solent.*
*Regia deficiat, si hærede superstite nullo*
*Stirps: si vel gentes, funditùs intereant.*
*Ortus habet finem: non est durabile quicquam*
*In mundo, mundus fiet & ipse* NIHIL.

Ex Herodoto G. Richt. in axiom. Polit.

CRœsus Rex ille Lydorum opulentissimus, cùm esset à Cyro captus, ei adversus Thomyrin exercitum ducturo, dixisse scribitur. Quandoquidem DEUS tibi me tradidit: quicquid animadverto errati in tuâ domo, id omne me pro viribus adversurum. Nam meæ ruinæ etsi ingratæ: mihi tamen extitere disciplinæ. Si tibi videris esse immortalis, & ejusmodi exercitui præesse: nihil est opus, ut meam tibi dicam sententiam. Sin verò te quoq; agnoscis hominem: istis ejusmodi præesse: illud inprimis discito: humanarum rerum Circum esse: qui rotatus semper eosdem fortunatos esse non sinit. Aurea sanè verba, cordibus Principum impressa meritò esse debent: ut Imperij, ac conditionis suæ, necnon officij memores, felicitatem suam ratione rectâ temperare, mitiùsq; interdum, ac fit, cum populis agere discant. Crœsum enim, cùm se propter divitias, & rerum omnium abundantiam felicissimum censeret: Fortuna, & status sui mutatio docuit: *nihil in Orbe perpetuum esse*; quod ad extremum vitæ halitum constans florensq; maneret. Ille idem suo exemplo Cyrum admonere voluit, ut, quàm incerto pede fortuna consistat, secum reputaret, quæ, ut semel de rebus humanis absolutâ suâ potestate sententiam tulit, nullum unquam mortalium ab eâ appellare posse: quoniam in hoc mundo non habet, nec recognoscit superiorem, nisi quod DEUM Ducem habeat, ut eleganter *Bl. in l. fin. C. Communi. de legat.* ait. Et si non tantùm res privatas, hominumq; conditionem in hoc mundo rectè perpendere: sed Imperiorum quoq;, & regnorum Periodos, ad amussim revocare voluerimus: reperiemus sanè, eas non fortuitas; sed fatales esse adeò; ut docti viri ex historijs, à primâ antiquitate observárint: Regna & Respublicas potentiores 500. annis plerumq; floruisse: plurima hunc terminum non attigisse: nulla, aut paucissima superasse: sed in quingentesimi anni momento, aut propè incidisse mutationes, quibus vel eversa, ac deleta funditùs; vel aliò translata desierint: vel in aliam novam sint transmutata formam. Per singularum partium exempla longum esset hîc discurrere: quæ tamen idem autor recenset: saltim quod VENETORUM RESPUBLICA ultra 1000 annos floreat: Ideòq; eam *Virginem* esse * Camer: ait: quòd adhuc nullũ externũ Dominum passa sit: ideòq; prudentiæ & Concordiæ

Idem ibid.

* Cam. oper. subcis. cent. 1. c. 33.

S.P.Q.

S.P.Q. Veneti dubio procul, post DEI OPT. MAX. providentiã, & singulare beneficium, est adscribendum. De Poloniæ Regno, quod paulò ampliùs quingentos annos duravit, simile quid apparet: periodum scilicet 500 an. excessisse ac superasse: sed videant, ne motibus proprijs mutationem regno suo accersant, qui Libertatem maximè tuentes, licentiæ potiùs frena relaxent: privatâq; discordiâ & seditione, publicam calamitatem provocent. *Nulla* enim *res magna*, inquit * Seneca, *non aliquod habuit ruinæ suæ spacium.* „ * 14. ep. 92. *Urbis quoq;*, ut idem ait, *constituit ætas, hora dissolvit, momento fit* „ Id. 3 nat. 27. *cinis, diù silva.* Ac veluti magna ædificia, quæ vetustate collabuntur, non uno momento concidere; sed primò rimas quasdam agere, quæ compagis dissolutionem minari videntur: donec tandem tota moles corruat: Ita quoq; in Republ: quædam signa & Prognostica ruinæ & calamitatum earundem præcedere solent. Solet etenim DEUS, cùm sit longanimis, iræ suæ certa signa populis ac regibus antè monstrare, quàm pœnas & calamitates infligat; ut ad pœnitentiam eos convertat, si sua delicta, & DEI misericordiam agnoscere velint. Ex sacris literis, exempla pijs sunt obvia. Id tamen, quod explicationi Emblematis hujus servit, addo. * *Ubi in* „ *Principum familiis nulli filij, successores regni futuri superstites manent: illic rerum mutationem, Reipub: perturbationem, ac magnum DEI judicium, ferè solet prævideri & expectari.* 1. Sam. 2. vers. 33. 34. Id quoq; observatum est ex historijs: Non solùm Rerumpub: ruinas, signa quædam & indicia præcessisse: sed familias quasdam illustres & nobiles esse, quæ, quoties ex eis, aliquis mortem obire debet, certis quibusdam indicijs præmoneri solent: de quo alibi. Ita duo prænuncij in Imperijs solent esse calamitatum: *Stirps re-* „ *gum deficiens: & occasus familiarum, præsertim Illustrium aut an-* „ *tiquarum.* Hujus rei consideratione & occasione Emblema hoc, „ sub duarum Candelarum extinctarum notâ effinxi: meæ enim familiæ fatum idem imminet! Et quemadmodum tenebras nocte præsertim illuni, existere: easdemq; augeri in Conclavi aliquo necesse est, quando lucernæ ardentes extingvuntur: ac nemo tùm suas operas sine luminis adjumento exequi potest: pari ratione calamitatis & cladium origo, ex familiæ regiæ, & præcipuarum familiarum

* Danæ. in Polit. Christ. lib. 3. aphor. 5. mihi fol. 266.

Nuper Illustris familia de Rosenberg hanc fatalem viã iniit Anno 1611. D. Vigelius, 57 Principum & Nobiliũ familias recenset, quæ intra 130 annor. spaciũ

absq; hærede & prole interierunt. Abr. Hofman. in Genealogia Austriaca.

familiarum defectu, in Repub: existit. Nam ut in sequentis Emblematis explicatione dicam, CERTA SECURITAS Imperij, Populo à stirpe regiâ vel Principali, (præsertim ubi Principatus hæreditarij,) pullulante expectanda est. Ubi verò Imperium ad novos subinde Dominos transfertur: nec sint in eo Illustres ac Nobiles antiquæ familiæ, quibus certè dignitas Regni plurimùm decoratur; ibi mutatio & ex hac calamitas semper metuenda. Per Candelabrum, ut potè, lucernæ fulcrum, fundamentum salutis Reipub:, Inconcussam, & non interruptam certam seriem prolis masculæ Regiæ, & aliarum præcipuarum familiarum, à quibus, & in quibus basis securitatis Reip. &, ut dixi, salutis redundat & reposita est, intelligo. Per emunctorium verò, causas omnes Rempub: evertentes, noto. Symbolum TRANSEUNDUM, ex Senecâ desumptum, significat: nihil in mundo, quod ortum habeat, perpes & stabile esse; quin illud aliquando finem sit sortiturum. Emblemati huic convenit Senecæ. *Assiduus humani generis discursus est. Quotidiè aliquid in tàm magno orbo mutatur. Nova urbium fundamenta jaciuntur. Nova gentium nomina, extinctis nominibus prioribus, aut in accessionem validioris, conversis oriuntur. &c:* Id verò quis fato fieri non credat? sive providentia DEI, omnia in hoc mundo gubernãtis, disponi neget? ἄθεος planè sit, necesse sit, qui aliud disserat & asserat.

Sen. op. 103.

Sen. de Consol. ad Alb, c. 6.


*Est etenim vis tanta, & tanta potentia divi*
*Numinis; ut Ratio hanc non superare queat.*
*Cùm semel huic placuit, sortem mutare benignam:*
*Consilij humani vis, ratioq; perit.*



EMBLE.

# EMBLEMA XXXIX.

## CERTA SECURITAS.



*NOn adeò Regum preciosa palatia gemmis,*
*Auro atq; argento condecorata nitent:*
*Non adeò hæc tutantur opes; non copia rerum:*
*Nec secura, cohors præsidiumq;, facit.*
*Continuâ serie quàm certâ è stirpe redundans,*
*Imperium, soboles multiplicata, beat.*
*Hac illustre genus nam conservatur & hæres:*
*Regni & Successor sic sine lite manet.*

UT præcedente Emblemate demonſtravi, in regno aut Repub: mutationes & calamitates ex defectu ſtirpis Regiæ oriri: ita hoc declarabo, certam ſecuritatem naſci Imperio, ubi certa proles, & regni hæres exiſtit. Duobus enim modis cùm Principatus capiatur; vel Electione, vel Succeſſione: illaq; extra controverſiam antiquior, imò tutior: attamen omiſſis, quæ in partem utramq; ab autoribus adferuntur & excutiuntur rationibus; Succeſſionem non improbo. hancq; intelligo, non ſolùm in hæreditario regno & Principatu: ſed ubi Electione, vel ſuffragijs conſtituuntur Reges, ut Succeſſor ſit certus, & præ manibus, qui idoneè defuncto ſuccedat. Nam, licet *Imperaturum omnibus*, ut * Lipſius ait ex Plinio, *eligi debere ex omnibus*, ratio dictitet: & ut ex multis generoſis equis, optimum ſeligere non eſt difficile, cùm copia adſit: Nihilominùs tamen plurima regno obveniunt incommoda, cùm inter tot millia ſuffragiorum; vel ſaltem Optimatum voces, contrariæ voluntates audiantur: odiaq; in eligentes
„ deriventur. Adde, quòd licet hodiè etiam in Succeſſione hæredi-
„ tariâ, nedum in Electione Principum, id obſervari ſoleat; ut præ-
„ ſtatio Homagij; vel ut alij dicunt, Hominij, non fiat; niſi ultrò
„ citròq; priùs habito initoq; contractu, pactisq; inter ſubditos, & futurum novum Principem conventis, de non violandis legibus fundamentalibus, alijsque rebus non mutandis, innovandis, aut ferendis: diuturnitate tamen ipsâ, mores quoq; electorum Principum mutantur ut plurimùm. Ita quinquennium Neronis optimum fuit. Sic M. Flavius Conſtantinus primis annis Princeps probus, ſecundo vir ſangvinum, tertio pupillus prodigus audijt. & plerumq;

—— *mitiſſima ſors eſt*
*Regnorum ſub Rege novo.*

Tùm, quòd in Electione plurimorum mentes, & recta judicia corrumpuntur: dùm eligentes vel muneribus, vel ſpe futurorum commodorum, & remunerationis, ab ijs alliciantur, qui dominari cupiunt; quod in Succeſſione ceſſat. Tali enim modo pravas aliorum ſpes cohiberi certum eſt, cùm Succeſſor non in incerto. MAXIMILIANUS
„ I. FRIDERICI III filius, vivo patre in Imperatorem eſt electus
„ Anno 1486. CAROLUS V. felicisſ. memoriæ, prudenter fecit,

quòd

Vide M. Antonii Peregrini Conſilium, de Succeſſionib⁹ in Regiis Dignitatibus, & Beſoldi diſputat. de Regiâ Succeſſione.

*lib. 2. Polit. c. 4.

Alb. Gentil. de I. belli lib. c. 15. Ioh. ap: Egnatius in Impp.

quòd fratrem suum FERDINANDUM, se vivente, Regem Bohemiæ, & posteà Romanorum, designari ab Electoribus & Ordinibus voluit; ut inde Imperij Romani dignitas ad eum deferretur, motusq; propter æmulos evitarentur. Ita MAXIMILIANUS II. parens V.æ Cæs.æ Ma.tis, vivente patre suo, in Regem Bohemiæ, & postea Roman. declaratus fuit. Similiter RUDOLPHUS II Imp. aug. mem. patre V.æ Cæs.æ Ma.tis vivo, REX ROM. electus fuit. Quòd verò in vivis adhuc existente RUDOLPHO II Imp:, V.æ Cæs.æ Ma.ti Regnũ Ungariæ & Bohemiæ, eodem consentiente, Ordinibusq; utriusq; Regni conferentibus cessit; id Providentiæ & voluntati DEI acceptum fert orbis Christianus: Nemo enim est, qui divinam benignitatem in eo non agnoscat, quòd V.a Cæs.a Ma.tas, ad hoc sublime Imperij Rom. fastigium, consensu Electorum unanimi, ac omnium votis sit evecta: ac successione non interruptâ, â CAROLO V. a. m. quintum nunc in serie locum teneat. Faxit porrò Rex ille regum summus: ut Imperium Roman. ex Serenissimâ domo Austriacâ, certo futuro Successore gaudeat ac lætetur! Constitutio Caroli IV. de elegendo Imperatore: & Institutio prima Electorum OTTONIS, prudenter est introducta: Nam, cùm in hæreditarijs regnis, Principum soleat esse Reipub: negligentior cura; quando se Dominos suorum populorum agnoscant natos; imò, omnes qui nascuntur & non eliguntur Reges, ut plerumq; fit, abutuntur illâ, in quâ educantur, & quam sibi perpetuam fore putant, libertate. Ne itaque potestate suâ abuterentur, & per eos, publicum Bonum negligeretur; Lex eis certa posita est. Sic WENCESLAUS propter ignaviã, Imperio fuit privatus. Præterea, cùm fatales sint rerum & Regnorum periodi, ne, si deficiente stirpe regiâ vel Imperatoriâ, agnati aut cognati, dignitatis splendore tumentes, Imperium sibi usurparent, aut tribui contenderent; Electio rectè instituta est. Si tamen idonei sint Imperio, Imperatorum & Regum filios non rectè ab hac dignitate excludi, multi judicant: cùm Reipub: maximè intersit: ut regiæ stirpis Honor & dignitas successione conservetur & augeatu . Id quod in Electorum secularium familijs observatur. Nam, quod in privatis familijs videmus, si eæ neglegantur; vel si Virtuti-

X. 2 bus

bus & divitijs, (quod quidem hodiè maximè attenditur,) non conservantur, splendorem suum illas non tantùm paulatim amittere: sed defectu hujus, contemptu propter paupertatem ingravescente, eas interire necessum est. Ita, non absque ratione dixerim; in regiâ stirpe, præsertim ubi Electio Successioni prævalet: dignitatem summam quodammodo minui: ubi idoneis in eâ neglectis, alij præferuntur. Quapropter DEUS OPT. MAX. qui reges & regna constituit & stabilit, eaq; solus, quò vult, transfert, rogandus est; ut Regum & Principum piorum ac bonorum, stirpem propagare ac conservare: tùm Magnas & Illustres familias divinâ suâ gratiâ & bonitate augere velit; ne, illâ deficiente, mutationes Reipub: accidant: & his pereuntibus, decus & splendor ejus intereat. Ut enim certa mutatio metuenda, quoties novi Reges: certaq; ruina ædificij, ubi fundamenta labant, aut nutant. Ita è contrariò: * *Nullæ neq; opes aut divitiæ, neq; classes aut legiones perinde firma Imperij munimenta sunt, quàm numerus liberorum. cùm, quia occulta quædam Majestas in illis est; tùm verò, quòd pravæ aliorum spes & fraudes inhibentur, si successores non in incerto sint.* Quod olim Augustus prævidit, atq; ideò sibi hæredem stabiliendum curavit. Et Tiberius extra domum Augustam, Imperium collocare, indecorum atq; intutum putabat, sin extra domum successor quæreretur; ne memoria Augusti, ne nomen Cæsarum in ludibria verterent, metuebat. Emblema igitur dissertationi huic conveniens, non est obscurum. Pavo enim hieroglyphicum est fæcunditatis. Pullos auté, prolé regiam intelligo; quæ intra sepem, hoc est, limites Imperij sui secura est, & lætior vivit. Eaque SECURITAS Imperij CERTA est, ubi hæredes ac successores regnorum & bonorum certi. In Nuptijs Serenissimi ac Potentiss. Regis POLON. SIGISMUNDI III. quas cum SERENISSIMA PRINCIPE & ARCHIDUCISSA AUSTRIÆ CONSTANTIA celebravit: numus in felici & splendido in urbem Crac: ingressu spargebatur, ex quarum parte unâ libra cum sceptro transversim locato: ex alterâ, par turturum olivæ ramo insidens, expressum fuit, cum hac inscriptione: REGNORUM SECURITAS NUNQUAM DEFICIAT. Eam ut Regno Poloniæ, DEUS quoq; conservet in hæredibus jam natis regijs, unicè precor.

*Ioh. Lenc. in obs. Polit. ex Tac. & Casman. in systemate Vitæ Polit. 5. ip Amirat. dissert. Polit. lib. 1. discurs. 2. ex Tacit.

Anno 1605. Cracov: m. Decemb:

# EMBLEMA XL.

## UTERE SORTE TUA.



ORbe super testudo jacens secura pericli est.
 Ipsius haut fines præteriisse cupit.
Si qua manu forti sunt parta, aut sorte benignâ,
 Oblata, auspiciis vel quoq;, Regna, sacris.
Esse reor potiùs servanda, ac pace tuenda,
 (Si non Vis, Causa, & Jus capere arma jubent.)
Quàm nova sub dubio conquirere Marte. capessit
 Qui vi aliena, suis sæpè pericla struit.

TAnta eſt mortalibus ſuarum rerum ſatietas, imò nulli res ſua ſatis; ut aliena ſemper magis placeant, quàm propria. & ut Poëta ait:

*Fertilior ſeges eſt, alienis ſemper in arvis:*

*Vicinumq; pecus grandius uber habet.* Omnes enim naturâ, cupiditate habendi duci videmur: ſed ij in hoc peccant maximè, qui modũ excedũt in acquirendis reb⁹: & quò plura poſſideant, eò plura appetãt: & quò plura appetãt, eò min⁹ poſſideant: nec non rarò id eis evenire videmus, quod Æſopico cani: qui cùm in undis carnis umbram, quam ore tenebat, conſpexiſſet, eamque appetuiſſet, illam ſimul, quam habuit, amiſit. Si autem Cupiditas illa nimia in privatis vituperatur: viriſq; bonis inviſi plerumque ſunt, qui non contenti, *parcâ quod eis Deus obtulit manu*, ut Horat. inquit. In Principibus maximè repræhendenda; quod eâ duplici modo peccant. In ſe, & in ſuos. Indignum enim eſt Principe ad ſublimia nato, ſervire turpi lucro, ac alienis bonis æſtuare; cùm liberam mentem, ab omni contagio vitiorum habere debeat. Subditis autem peſſimum exemplum ſuo præbet: cumq; vitia in alijs vindicare deberet, ea docere videtur. plerumque enim,

*Regis ad exemplum totus componitur orbis.* Et

*Omne animi vitium tantò conſpectius in ſe*

*Crimen habet, quantò major qui peccat, habetur.*

Verumenimverò Magnorum virorum ingenia, plerumq; dominandi libidine, & cupiditate regna poſſidendi flagrare, experientia & hiſtoriæ teſtantur, paucos rebus partis contentos. Atque hæc communis omnium labes, quòd ſæpenumerò magis de acquirendo, quàm acquiſito retinendo, intra ſe æſtuent: cùm tamen ſit

*Non minor virtus, quàm quærere parta tueri.*

Quippe majoris eſt laboris ac induſtriæ, res acquiſitas conſervare: regnumq; partum in ſuo ſtatu tueri poſſe tutum. Nam ſæpiſſimè fit; ut, cùm de parto augendo cogitent, modosque id perficiendi quærant: totum, quod ante poſſederunt, amittant: & dum ad culmen venire contendunt, unà cum ipſis ramis; quos compræhenderunt, decidant. Optimè igitur, * Lipſius *Principes* docet, *qui* *Polit. lib.2. c. 9.
„ *nova regna ſitiunt, ad eaq; properant, ut ante parta, firment.* Facilius

enim

enim est vincere, quod fortunæ interdum beneficio, & vi fieri potest: sed victoriã ob itinere, non nisi prudentiæ esse. Atq; ut Echinum capere faciliùs est, tenere difficile; & nisi arte & prudentiâ utaris, frustrà eum ceperis: Ita quoq; * *fortunam magnam citiùs reperias, quàm retineas*. Ut non immeritò Livius dixerit. *Excellentibus ingeniis citiùs defuerit ars, quâ Civem regant, quàm quâ superent hostem*. Et Demosthenes suos cives hortatur, cùm sint in vitâ duo commoda, Fortunæ prosperæ, & Consilij boni: non solet utriusq; simul copia contingere hominibus. Neq; quisquam rebus secundis terminum sibi constituit, neq; finem imponit cupiditatibus acquirendi plura. Itaq; permulti sœpenumerò dum majora concupiscunt, ea, quæ jam obtinebant, amiserunt. * Tartarorum Princeps quidam, licet alioquin barbarus, imprudentiam eorum notare voluit; qui proprijs non contenti, majora appetere soleant: Ex capti enim Moschovitici Principis calvariâ, poculo, majusculis literis inscribi curavit: HIC ALIENA APPETENDO PROPRIA AMISIT. * Antiochus Magnus, Regum Asiæ illis temporibus potentissimus, non contentus tanto Imperio, bellum Romanis intulit: à quibus superatus, omnibus, quæ cis Taurum montem possidebat, mulctatus est. Antigonus quondam Rex, & Alfonsus Rex Aragonum, tales aleatoribus similes esse dixit; qui spe lucri futuri, proprias opes prodigunt, nec eo, quod lucrati sunt contenti, dum alienum appetunt, id quoq; perdere solent. Maximiliani Imp: judicium de his recitavi in discursu meo Politico de LITERIS & ARMIS. Ac quidem extra dubium est: Principes & Reges, qui regna sua vel hæreditaria, vel virtute parta bellicâ, tueri & defendere pacis artibus sciunt, nec alienis inhiant: eos feliciores & tutiores in suo Principatu esse, ijs, qui nova subinde acquirunt, eaq; conservare nesciunt. Alexander non tàm citò orbem sibi subjecit, quàm ipse cum suâ familiâ & regno perijt. de alijs, historiarũ pleni sunt libri. Prudenter itaq; * Lips. ex Livio Principes monet, ut quietem potiùs & pacem colant: & sua modis omnibus tueantur ac defendere conentur; cùm Dimidium sœpè plus toto: & ubi cupiditatibus frena laxantur: impetu magno eæ proterunt res proprias. Sic ex Livio verissimum.

* Publ.

* Camer. op. subcis. cent. I. c. 2.

* Ioh. Spin. de tranquil. anim.

* lib. 4. Polit. c. 9.

Liv. lib. 34.

Tegmine

*Tegmine clausa suo Chelys, omnes despicit ictus:*
*Exertum telis nudat inepta caput.*
*Sub lare privato tutò & benè vivitur. extra hunc*
*Sors malefida tibi mille pericla struit.* Unde hoc Emblema intellectu facile est: Ut enim testudo tradissimè incedit; inq; suo tegmine tuta latet: Ita Principem, suam Rempubl: & regnum tutari decet: & ad nova, vel aliena regna invadenda tardum esse: globum autem, cùm circularis figura perfectissima & aptissima sit, Imperium legibus, & rebus ad perfectionem regni pertinentibus ornatum, intelligo: ideò autem cathena cinctum volui: ut eam Rempubl: vel regnum non facilè solvi innuerem, quod ferreis & solidis Prudentiæ & Concordiæ vinculis constrictum sit: eamq; Rempub: tùm florentem censeri: cùm quisq; in eâ rebus suis contentus, mediocritatem amplectatur: idque tàm Principi, quàm privato optimè convenire puto. *Ambitio* enim *omnis infelix.* & ubi vicini Principes temeritate quadam vexantur, tristes & funesti exitus sequi solent. Symboli loco adjeci, UTERE SORTE TUA. Certiora enim sunt quæ bono titulo possidentur; licet parva aut exigua: quam magna injusto aliquo modo parta, quæ tantùm abest ut tutò possideas, ut tua simul cum illis amittas. Placet hîc * monita adscribere quædam. *Industria*, inquit, *adhibeatur, ut subjecti populi pace perfruantur, non deficias annona, ærarium ditescat, Civitates civibus impleantur, disciplinâ militari cives instruantur, arma congregentur, Princeps muniat se subditorum amore, arcibus, copiis: Cùm verò sese obtulerit occasio, ut sive tuas, sive sociorum ac fœderatorum res tueare; tunc contra audentior ito: neq; enim tantum certa erit parata adversus vicinas, remotasq; gentes victoria, sed etiam, quæ bello acquisiveris, securus ab hostili impetu possidebis, & perenni pace lætaberis.* Quomodo autem & quando confœderatis inter se Principibus bella moventibus, tertius vicinus utrinq; quoq; fœderatus, opitulari & se gerere debeat, hîc certi nihil definio: videatur * Lips. id tamen observandum:

* ex Amirat. Scip. lib. 1. discurs. 6.

* lib. 4. c. 9.

*In caducum parietem non inclines.* * Et, *suam quisq; fortunam in consilio habeat, cùm de alienâ delìberat.*

* Curt. lib. 4.

EMBLEMA

# EMBLEMA. XLI.

## INTUTA QUÆ INDECORA.



*NOctis avis non eſt ad Solis tendere lumen:*
*Non aquilæ muſcas ungve ferire leves.*
*Sors, Virtus, Natura Ducum contraria vulgo eſt.*
*His proprios fines tranſiluiſſe nocet.*
*Nec fas privato, mores effingere regum:*
*Hos vulgare aliquid nec ſapuiſſe decet.*
*Summa petant ſummæ generoſo in corpore mentes.*
*Plebs humiles humilis quærat & ornet opes.*

THemiſtocles poſt partam victoriam, cùm aliquando ad mare viſendi cadavera causâ acceſſiſſet: & jam multos torques, aureasque armillas præterijſſet, amico cuidam ſe ſequenti dixiſſe ſcribitur. *Tolle tu hæc, quia non es Themiſtocles.* Et Alexander, cùm ei Darij filia in uxorem cum ingenti dote offerretur, Parmenioni, ut acceptaret conditionem, dicenti, *Facerem ego ſi eſſem Alexander*, prudenter reſpondit: *Et ego facerem ſi eſſem Parmenio.* Quo innuere voluit; aliam Principum eſſe conditionem, ſtatum & officium; aliam privatorum. Neq; id Principem decere, quod privatum quempiam, quò ad vitam, mores, & actiones. Nam ut DEUS ipſe Reges, Magiſtratus tàm Eccleſiaſticos, quàm Politicos inſtituit, eisq; præ cœteris peculiarem gratiam concedit, eos quoq; ſapientiæ ſuæ donis affatim cumulat: ita vult, ut quisq; in ſuo ſtatu & officio perſeveret: ſuamq; autoritatem pro virili, pietate, Juſtitiâ & Prudentiâ defendat & tueatur. Sœpè autem homines ingenij & vocationis metas egrediuntur, ſibique inde plurima pericula ſpontè accerſunt. Principum vitam vulgus rude fœliciſſimam æſtimat, ex rerum omnium affluentiâ: eorumq; mores pravâ & ineptâ imitatione exprimere haud veretur: de ipſorum Conſilijs & actionibus palàm judicare non dubitat, privatis eas rebus ſuis accommodare nitens: cumq; illi alta & magna ſapere non detur, * *non delectu aut ſapientiâ ducitur ad judicandum, ſed impetu, & quadam etiam temeritate*: ideò Principum Conſilia & facta ad ſuam tantùm lancem appendit: publicaque bona, ex re ſuâ privatâ & ſordidâ ſœpè ratione metitur: cùm illi non magis datum & conceſſum ſit, in Principum occultas rationes, quas de Republicâ ineunt inquirere, eaq; penitùs cognoſcere; atq; Noctuæ ſplendidum ſolis lumen aſpicere. Quid? quòd Principes & Magnates ſummo odio eos perſequantur, qui, non dicam facta & conſilia eorum perſpecta habere volunt: ſed qui eos in moribus, veſtitu, ſupellectile privatim imitantur. Imò eo ſunt ingenio Principes, ut, quò quisq; genere illuſtrior, antiquior, celebrior, adde & ditior: eò magis offenditur, quandò inferiores pari cum illis fortunâ, & rerum omnium formâ uti volunt. * Artaxerxes prudenter Teribazo regia ſua veſtimenta indulſit. Hic enim,

Poſuit Deus metas ingeniis, quò & quatenus currant.

* Cic pro Planc.

* Bruſon. lib. 1. c. 5.

enim, cùm in venatione vestem scissam illi ostendisset, rogatus, quid fieri oporteret? respondit: Aliam sibi induendam vestem, & illam Artaxerxi tradendam. Concessit Artaxerxes: Dono tibi hanc (ait) vestem, sed ferre prohibeo. Teribazum verò, quod illâ indutus esset, acceptis etiam muliebribus donis, ægrè ferebant spectatores. Tum Rex cachinnari cœpit, ad eumq; conversus: *Tibi,* inquit, *ut mulieri aurum, & ut insano regium amictum, gestandi potestatem licentiamq; concedimus.* Quis hinc importunitatem hominis, in impetrando, regisq; benignitatem in concedendo, utriusq; simul statum non cognoscat? Africanus cum ei objiceretur, quòd ipse prælio non interesset, prudenter respondit. *Imperatorem me mater, non militem genuit: neq; Ducis est, militis mortem obiri!* nec immeritò. Nam, cùm in Imperatore tanquam Capite, tota vis & ratio belli consistat: ejus non est, quibusvis periculis, aut pugnis, (quod militum proprium est, ) sese objicere. Eo enim cæso, victoriæ & totius exercitus etiam validissimi, spes & robur langvet, imò jacet. Ita Viri fortes, Gloriam ex rebus præclarè gestis pluris faciunt, quàm hostium spolia & prædas: neque ex levibus aut parvis rebus, nec ignobilibus, solidam esse judicant. Idem L. Paulus Æmylius docuit. Nam cùm Perseo potentissimo Rege Macedoniæ devicto, Macedonicis opibus veterem ac hæreditariam urbis paupertatem satiasset: penates autem suos nullâ ex parte locupletiores fecisset: præclarè secum actum existimavit; quòd ex illâ victoriâ, alij pecuniam; Ipse patriæ salutem & gloriam sibi parasset. Ita Nobilem à Principe beneficium accipere, vel tale quid decet: illum ab hoc non semper. ut Privatus, rem suam ex vili quoq; re faciat, non in decorum: Principem nequaquam decet. Diversum sanè Reges & Populi sapiunt, & sapere debent. Non omnia omnibus conveniunt, nec sunt decora: quodq; privato licet, Principi licere turpe putandum. Quanquam non negârim, Principes & Magnates vulgo propterea gratos existere solere; quoties se civiliter gerant; & cum primoribus suæ Civatatis conversentur, dummodo sui status & dignitatis non obliviscantur: aut apud viles, viliùs quàm Majestas eorum & authoritas requirit, se objiciant, aut gerant. Nimia enim familiaritas,

Val. Max. lib. 4. cap. 3.

cùm contemptum parere ſoleat; tùm magnatum dignitatem obfuſcat, cùm ſe ultrà modum privatorum rebus immiſcent. Id ut caveant, meminerint ſedulò, quia in proverbio dicitur: *tractent fabrilia fabri. peragant regalia reges. Aliud* enim *ſceptrum, aliud plectrum.* & quod apud * Plautum; *aliter catuli longe olent, aliter ſues.* Alia mens & Studia Generoſi Principis, alia plebeij hominis. Emblemate igitur hoc, diverſitatem ſtudiorum & factorum Principis, & privati hominis exprimere volui. * Aquila enim Principum Majeſtatem notat, induſtriamq; eorum, ſuis rebus intentam. Ut & inter cœtera Noctycorax hypocritam, & privatum ſtudiũ, inquirendi & adipiſcendi res. Ut itaq; Aquilæ muſcas captare, vel murus venari minimè convenit: quandoquidem ob generoſitatem, quâ cœteras aves præcellit, easq; negligit; majori ſolet incumbere prædæ: Sic Principem vulgaria ſectari, & animum humilibus, & tantâ Majeſtate non dignis ſtudijs applicare non decet: Ac veluti noctua in tenebris potiſſimùm volat: Solisque lumen ſuſtinere non poteſt: Sic privati homines, privatis tantùm, & quæ ad majeſtatem regni nil faciunt, rebus intenti eſſe ſolent. ad ſplendorem ſummæ dignitatis in regno cœcutientes. Ut itaque neq; Aquilam muſcis captandis, muribuſve inſectandis intentam eſſe decet. Neq; Noctuæ tutum eſt, adverſus ſolem, aciem oculorum dirigere, cùm naturâ ejuſdem radios ſuſtinere ipſi negetur. Ad eum quoq; modum, nec Principi privatorum ſtudia: nec privatis, illorum facta ſectari convenit. Utrinq; enim periculum & infamia. & quod Tac. ait. INTUTA, QUÆ INDECORA. *Culpa* quoq; *eſt immiſcere ſe rei ad ſe non pertinenti*: quæ pœnam plerumque comitem habet. Quantoperè igitur Principes ſtudent abeſſe à cultu victuque plebejo: tantoperè verus Princeps debet abeſſe à ſordidis opinionibus vulgi: imò ſolùm hoc ſordidum vile, ſeque indignum ducat, cum plebeculâ ſentire, cui nunquam optima placuerunt.

*in Epid. Eraſm in adag Chil. 1. cent 8.

* I. Pier. lib. 19 hieroglyph.


L. culpa 36. ff. d. R. I.

Vide Scip. Amirat. diſſert. Polit. lib. 5. diſcurs. 10.

EMBL. X.

# EMBLEMA. XLII.

## SEGES QUIETIS PUBLICÆ.



*URbis non tam firma potest Rex reddere, quamvis*
*Defendat murus mœnia cincta triplex:*
*Concordi quàm cùm Cives animoq; fideq;,*
*Opponant hosti pectora læta suo.*
*Quos patriæ communis amor, Regisq; benigni;*
*Ardor & in socios non temeratus agit.*
*Principibus res est nec gratior ulla; fidelis*
*Quàm cum se unanimi pectore turba colit.*

Goslic. de opt. Senat: lib. 2.

CONcordiæ templum Camillus Romæ quondam constru-xisse scribitur, in quo Senatus potissimùm haberi solebat; ut eo declararetur, nihil seditiosè, nihil turbulentè agendum esse in Senatu; sed omnia tranquillè & pacatè. Ubi enim Senatus mutuis inter se odijs certant, diversisq; animis & sententijs in contrarias voluntates abeunt, eam Rempublicam non solùm infelicem esse; sed ad interitum accelerare certum est. In quâ civitate cives assiduis contentionibus dimicant; ibi publicum bonum, & privata commoda, non secus, atq; nix à Solis calore, diffluunt. A naturâ ipsâ docemur & ducimur ad Concordiam amandam & colendam. Si enim vel solam corporis humani fabricam aspexerimus, quomodo tot, ac varia membra inter se cohæreant, & quomodo officia sua exequantur: meritò animum à contentionibus & odijs, ad tranquillitatem & concordiam revocare debemus. Quandiù enim membrum membro cohæret, sano ac vivente corpore, tamdiù qualitas ejus integra est: sed primùm ac abscissum aliquod fuerit, tabescit, & nullius momenti, existit. Qui ædificium extruit, sanè saxum cum saxo, vel lignum cum ligno non coaptabit sine aliquo vinculo. Et publicum bonum nullâ promoveri ratione poterit sine Concordiâ! Hæc enim est vinculum, hæc ligamen, hæc gluten, hæc murus inexpugnabilis, hæc ara insuperabilis; quâ se Reges & Principes, Magistratus, Respublicæ, Cives, amici, consangvinei defendunt; tota deniq; rerum natura se tutatur contra vim quamcunq;. Unde Agesilaus Lacedæmoniorum Rex interrogatus, quamobrem Sparta mœnibus non fuisset cincta: ostensis civibus concordibus & armatis; Hi sunt, respondit, Spartæ mœnia. Nec immeritò. Nam veluti muros, fossas, valla, aliaq; munimenta summâ diligentiâ & sumptibus magnis extruere solemus: ut privatorum bona, atque adeò publica, salva & tuta, adversus hostium incursus & deprædationes, esse possint: quæ per se licet sint valida: tamen ni civium unanimis voluntas & fortitudo, ex ijs hostem repellendi, accedat; frustrà ea extruuntur & eriguntur: Ita in defendendâ magnâ Republicâ, veluti Imperio Romano, nisi Principes inter se amicitiam & Concordiam alant colantq; ; vires omnes, quas licet in unum collectæ

cumulum

cumulum, maximæ ſunt, ac eſſent; ad retundendas inimicorum machinationes, non ſufficerent: Omni enim hoſti nihil tâm formidabile eſſe ſolet, atque Concordia eorum; qui contra ſe ſunt pugnaturi. Nihil jocundius, quàm cùm inter (duces) & milites diſcordiæ ſunt & foventur. Id quod docet Vegetius, *Prudentis* eſſe *ducis inter hoſtes diſcordiæ cauſas ſerere*. Siquidem * *diſcordia & ſeditio omnia facit opportuniora inſidiantibus*. Quippe, ut in diſcordiâ inteſtinâ nihil poteſt eſſe occultum: ita tùm maximè via patefit hoſtibus ad opes aliorum expugnandas, cùm inter Principes aut cives in Republicâ. Vegetius. Livius lib. 4

*—— ſævo diſcordia crine*
*Extulit ad ſuperos ſtygium caput.*

Scipio Africanus cùm Numantinos ſœpè victores fregiſſet, obſeſſosque tandem expugnaſſet, Tireſiam Principem quendam Celticum rogavit; quâ de causâ Numantia priùs invicta duraſſet, & poſt everſa fuiſſet? reſpondit Tireſias: Concordia victoriam, diſcordia exitium præbuit. Hinc OTTO III Imp: cùm Concordiam animadverteret Imperio & Reipubl: cuilibet, ſummè eſſe utilem & neceſſariam, ad ſui firmitudinem, & hoſtes retundendos, Symboli loco uſurpavit VIRTUS UNITA FORTIOR.

* *Plus* VIRTUS UNITA VALET; *vis neſcia vinci*
*Si mens una, fides una ſit, una manus.* * Reuſn:

Et cùm Reſpublica benè conſtituta ſit quaſi corpus ſanum, & rectâ utens valetudine, in quâ Rex ſeu Princeps, Capitis loco eſt, reliqua membra veluti Duces & Proceres, ei obſequi decet: cùm primùm ea vel à Principe, vel inter ſe diſſidere cœperint, certiſſimum huic regno imminet exitium. & ubi partes labant: ibi ſummam turbari neceſſum eſt, quando hæc eſt maxima Rerumpublicarum & regnorum calamitas. Hanc olim cùm prævidiſſet Scylurus ille Scytharum Princeps, qui jam jam animam exhalaturus, octoginta filijs ſuis, quos habebat, convocatis, faſcem jaculorum frangendum omnibus porrexit, recuſantibus illis rem factu incredibilem, ipſe ſingulatim extractas fregit; filios admonens; ut Concordiam ſervarent; hac illos invictos & felices futuros dicens. * Sertorius Dux, militibus diſſidentibus, caudam equinam propoſuit; Q. Curtius. Plut. in vit. Sert.

proposuit; cujus setas nemo tàm robustus fuit in toto exercitu, qui conglobatas evelleret; mox autem distinctas, imbecillis & iners lixa decerpsit. Et quemadmodum hastilia singula facilè franguntur; conjuncta non item. Ita diffidentes facilè superantur, secus autem concordes. Fasciculo igitur sagittarum funiculo colligatarum, quibus duo Corda adjuncta conspiciuntur. CONCORDIAM designare volui. Quemadmodum enim tela compacta, quæ & Fortitudinis ac defensionis hieroglyphicum sunt, non facilè franguntur, singula, sine ullo labore: utq; *funiculus triplex*, ut Salomon * ait, *non rumpitur*: ita Concordes Principes & Cives, si animis & voluntatibus, (quod duorum cordium mutuo nexu cohærentium, noto) omni odio & simulatione vacuis publica commoda curaverint, eos profectò insuperabiles futuros. Contrà verò nil opportunius, nil facilius & aptius ad perdendam libertatem, privata & publica bona diripienda, quàm cùm Principes, vel Cives etiam, qui Reipub: aut Civitatis jura meritò conservare debent, inter se dissentiant. Concordia igitur mater felicitatis, publicæq; quietis seges est; quæ consistit in conspiratione omniũ ordinum, ad retinendam libertatem, ll. justitiam, fidem, religionem, & omnem Reipub: tranquillitatem. *Estq; hæc*, ut * Goslic. ait: *una spes & species conservandæ Civitatis, cùm in omnibus rebus, atq; adeò omni tempore invicem omnes consentiunt, consiliaq; & res suas concordes tractant.* * *Concordia enim res parvæ crescunt, discordiâ dilabuntur.* & ut Augustin. inquit. *Concordia civitates construuntur, quæ discordiâ destruuntur.* Publ. *Auxilia humilia consensus facit.* Ad summam.

* Eccles. c. 4

* Goslic. de opt. Senat.

* Sallust.

Res parvas concors servat & auget amor.

*Nil adeò firmum, quod non discordia frangat,*
*Nil humile, ut concors non ope dextra levet.*



EMBLE.

# EMBLEMA XLIII.

## NEC SATIS.



*UNgve rapax, & dente ferox Panthera, ferarum*
*Carne, truces ſpirat non ſaturata, minas.*
*Sævæ Tyrannorum mens, non explebilis auro,*
*Sangvine, cæde, bonis, ſic magis usq; ſitit.*
*Plena metu latebras petit, abſtruſosq; receſſus:*
*Et quodcunq; facit, fraude doloq; facit.*
*Inſidiis donec propriis, ac nexibus ultrò*
*In pœnas, JOVA Vindice, vincta ruat.*

HOrtulani & Vinitores eum in finem plantas ſerere & vineas ſuas diligentiùs colere ſolent, ut fructus ex ijs capiant uberrimos: qui ſi repaſtinando radices ferro vehementer vel læderent; vel omninò evellerent: nulla ſpes eis fructuum creſcendorum & recuperandorum relinqueretur. Principum Regiones, Civitates, pagi, villæ, populi, quid aliud quæſo ſunt, quàm horti & Vineæ; Lex quibus benè conſtitutis, & divitijs abundantibus, rerumq; omnium copiâ florentibus non voluptatem ſolùm: ſed & utilitatem percipiunt maximam. Cùm verò immodicis, frequentibus, nimijsq; tributis, vectigalibus, exactionibus, atq; ejuſmodi angarijs & oneribus, eos gravare, facultatesq; eorum exhaurire non deſinunt: nullâ id fieri ratione poterit; quin ipſi Principes, ex defectu ſubditorum egeant, opibusq; ſubditorum funditùs exhauſtis, pauperiores evadant. Sublato enim ſubjecto, tolluntur accidentia. Ac ſanè ſi quicquam ſubditorum animos à ſuis Principibus alienos facit; ſi ulla alia Odiorum ſcaturigo eſt, hæc certè: cùm crebris & magnis exactionibus facultates ſubditorum exugunt: novosque ſubinde commentantur avaritiæ ſuæ prætextus: ut ſaltem pecuniam, quæ mortalibus Anima & ſangvis eſt, ſubditis extorqueant: quibus eas, ut *Lipſius loquitur, eripere, idem quod vitam. in hanc ſententiam ego in meis Epigr:

*lib. 4. Polit. c. 11.

*Nemo animâ duplici mortales vivere dixit.*
*Absq; tamen duplici vivere nemo poteſt.*
*Una fovet corpus: loculos fovet altera: vitæ*
*Sanus utraq; vigor deficiente perit.*

*Tac. 4. hiſt. *Cic pro leg. Manil. *Matth. 22.

Quanquam *nec * quies gentium ſine armis, nec arma ſine ſtipendiis, nec ſtipendia ſine tributis haberi queunt*: quæ * *ornamenta ſunt pacis, & ſubſidia belli*. * Ipſoque Salvatore noſtro docente, *ea quæ Cæſaris ſunt ei reddere* teneamur. Quippe, ubi Neceſſitas ipſa flagitat, non tantùm pro defendendâ Reipub:, atque adeò omnium ſalute, privatas opes & bona contribuere: ſed Eccleſiaſticas res, in eundem uſum conferre, & alienare debemus & poſſumus: modò ſub prætextu ſummæ Neceſſitatis, Avaritiæ non aperiatur feneſtra: probat id Imp. Iuſtin. l. ſancimur 21. C. de Sacroſanct. Eccl. & c. aurum. 12. quæſt. 2. ubi textus habet: *Aurum habet Eccleſia, non ut ſervet, ſed ut eroget, & ſubveniat in neceſſitatibus. Quid eſt*

*opus custodire, quod nihil adjuvat. &c*: Pro Repub: plerumq; templa nudantur, & in usum stipendij dona conflamus. Sic Nerva, ut impendia contraheret, sacrificia non pauca sustulit. Sed non rarò fit, ut Tyranni, nullâ necessitate cogente, non solùm subditos facultatibus emungant: sed res quoq; Ecclesiasticas & sacras diripiant. * *Nero olim vastaverat Italiam, ut saltem suis pravis cupiditatibus morem gereret, provincias everterat, sociosque Populi Rom: & civitates, quæ liberæ vocabantur: tandem in eam prædam etiam Dij cessere, spoliatis in urbe triumphis, egestoq; auro, quod triumphis, quod votis omnis Populi Romani ætas prosperè, aut in metu sacraverat.* Scipio idem in Epheso Dianæ templo fecisset, nisi à Pompejo revocatus fuisset. Quanquam & illud non improbandum, cùm * tempore belli propter defectum machinarum muralium, aut jacturam earundem; materia aliunde ad fundendas novas non suppetat: Campanas ex templis sumi, easq; ad usum machinarum converti posse: dum modò vel novæ, pace constitutâ à Magistratu reddantur: aut precium earum refundatur. Sed ubi necessitas nulla, neq; hoc, neq; illud faciendum. Ac sanè Princeps, qui subditorum suorum nullam habet rationem; eosq; novis subinde modis tributorum fatigat & deplumat: Tyrannidem exercere, seq; & suam Rempubl: pessundare videtur: maximè si eam pecuniam non ad publicos usus; sed ad profusionem, aut scurras vel Mimos, *aliaq;*, ut * Lips. ait, *amicitiarum dehonestamenta* convertit. Inde enim subditi, cùm viderint alios, rebus suis summâ cum difficultate & sudore partis, abuti: facilè in Iram & Odiũ erga dominos assurgunt: unde & Insidiæ clandestinæ; & ex Impatientiâ ac desperatione, Bella oriri possunt. Qui verò frugalitatem amat & exercet: suosq; subditos ad tempus aliquod, ut respirare; ac parsimoniâ & industriâ, magna tributa data, concoquere possint, ab onere relevat: ille & amorem eorum sibi hoc modo conciliabit: & cùm vires recollegerint, surculiq; facultatum eorum excreverint; certam spem opum, & quasi reconditum subsidium apud eosdem, quoties opus erit, habebit. Non enim minoris lau- »
dis est, Principem divites habere, Illustres ac Nobiles subditos; »
quàm fiscum locupletem: cùm & Gloriam ac magnitudinem, nec »
non certum fidejussorem Necessitatis (quod aliàs de pecunia dici- »

* Amirat. dissert. Polit. lib. 15. discurs. 5.

Curt de bello c. v. lib. 2.

* Ranzovius in tractat. bellico.

* lib. 4. c. 12. ex Tacito.

" tur ) eos habeat. Et *quò quis illustrioribus & ditioribus imperat, eò sibi majorem laudem acquirit.* Unde Salomon. *In multitudine populi dignitas regis, & in paucitate plebis Ignominia Principis.* Cumq; Fisci incrementa vix cum utilitate populi esse possint; quandoquidem splenis instar se habet: quo crescente, reliqui artus contabescunt: ubi Rex vel Princeps suum tantum locupletare vult fiscum, subditorum privatæ facultates decrescant oportet. Probi igitur Principis erit, onera illa nimia & magna, interdum à subditorum humeris levare; ut tantò meliùs & certiùs, imò securiùs suis rebus superesse possint. * Si enim populus dives erit, & Princeps ipse semper habebit. quoniam *nullæ opes aut certiores sunt, aut utiliores; quâm quæ sunt apud subditos: hæ solæ stabiles firmæq; permanent: quibus Princeps ubi necessitas postulat, utatur ac fruatur, cum voluntate & studio subditorum. Quod enim Princeps de tributis remittit: id quasi deposuisse apud subditos censetur.* Fœnus enim id crescet: & amor in Regem augebitur: ex quo fieri non poterit; quin Benevolentiâ propriâ moti populi, ultrò, cùm necessitas postulaverit, ad eam sublevandam, bona sua conferant. Tyrannidem autem per Pantheram noto; quod hoc animal prorsus ferum, rapax, in persequendis animalibus mirâ velocitate valeat, inq; lustris vivat. Non aliter Tyrannus, qui omnia ad suam utilitatem refert, nulli vel optimo parcit, dum alios propter odium, alios ob metum præstantiæ, potentiæ, ac virtutis, alios invidiæ causâ, de medio tollit; dum bella non ex utilitate Reipubl: sed avaritiâ suâ suscipit atq; gerit; dum vectigalia subditis gravissima imponit; dùm omnia rapit; dùm voluptate suâ cuncta metitur, vi & fraude omnia agit, utque hanc tueatur, non abstinet à rapinis & cœdibus multorum, præsertim nobilium; dum privatim vivit: *dum lustris primùm* ut Plato inquit, *scortis omnibusq; libidinibus se inquinari patitur:* deinde in redituum profusione modum excedit: his profusis dolo & fraude, tùm vi & apertè ab alijs prædatur. itaq; Tyrannus semper indiget, semper sitit aliena, semper quærit, semper omnia prodigit, rursusq; requirit, semper sibi ab alijs timet. Val. Max.* *Ea civitas, id regnum æterno in gradu facilè steterit; ubi minimùm virium Veneris Pecuniæq; cupido sibi vindicaverit. Nam quò istæ generis humani certissimæ pestes penetraverint: ibi injuria dominatur, infamia flagrat.*

Proverb. 14.

Vide Meum Principẽ Plinianũ Aphoris. 25. 26, 27. 28, 29, 30.

* Reusn. in Symb. Hadr.

* lib. 2. c. 9.

# EMBLEMA XLIV.

## ALIQUID PRECIOSIUS AURO.



*NOn adamas adeò rutilat circumdatus auro,*
*Quàm nitet in justo Principe recta fides.*
*Omninò hanc servare decet; non frangere. quo Dux*
*Hanc violat juris tegmine, Crimen habet.*
*Namq; adamas veluti saxo est præstantior: isq;*
*Non mole, ingenitâ sed bonitate valet.*
*Sic data sponte Ducum, merito, non jure supremo;*
*Vincli etiam debet pondus habere Fides.*

Cic. ibid. *Nihil est, quod lumine clariore præfulgeat, quàm recta Fides in Principe*, l. interclaras. C. de sum. trin. & fid. Cathol. *quæ est fundamentum Justitiæ* juxta Cic. 1. off. *qua sublatâ. justitiam quoq; ipsam tolli necesse est; sine quâ neq; regna imperia, resq; publicæ, neq; domus & societates constare possunt.* quam justitiã non ad bonos tantùm pertinere putandum est: sed etiam ad malos. Quo quasi fundamento posito; vocem illam ex foro Christianorũ Principum exterminandam minimè dubitandum. Fidem hæreticis datam, non esse servandam. Nam quod Turcam, datam fidem violare haut erubescentem videamus, causas sœpissimè frivolas, & impias prætendentes, non tam indignari, quàm cautiores in fide nostrâ obligandâ esse debemus. Sed Christianis id nequaquam faciendum plurimis, si hujus loci esset, rationibus demonstrari posset: maximè verò Principibus fidem etiam hæreticis datã servari oportere, jure divino naturali & humano convenit: de quâ tamen materiâ autores, qui ex professo scripserunt, consulantur. Id tantum hîc adstruo. Princeps hæreticis datam fidem omninò servare debet: quandoquidẽ JEHOVA ipse, qui est Rex regum, Princeps principum, qui solus quodcunq; ei placet, facere potest, fidẽ populo suo datam servavit; quamvis turpissimâ defectione, idolatriâ, superstitione & hæresi, omnes alios, à DEI veri cognitione & cultu alienissimos, superasset. Quòd si DEUS hæreticis, id est, deficientibus à se, fidem datam servari non oportere voluisset, utiq; non servasset. *Principes* verò cùm *Dij sint terrestres* Psal. 82. vers. 6. Ioh. 10. vers. 34. Dei facta, id est, justitiam inprimis, Deumq; ipsum imitari debent l. *imperialis* 23. *in pr.* C. *de Nupt.* & l. *si unus fin.* C. *de donat int. vir. & uxor.* Neq; id respiciat, quod hæretico sit data; sed quòd Princeps dederit: ne scilicet contractus claudicet: quod autem claudicat, id ex Bl. sententiâ, justum non est. *Principes* verò *ex contractibus & pactis, æquè ac privati tenentur*, text. *in* l. *Cæsar* ff. *de publica*: & c. 1. *Extr' de probat.* Wesemb. *in parat.* ff. *de Constit. Princip.* Quippe, quòd *fide inter homines nihil est majus* arg. l. 1. ff. de pact. eamq; fallere grave esse quibuscunq;, Principibus autem gravissimum: quia ut summa potestate valent; ita summam justitiam & honestatem, tanquam regulam tueri debent. Et quò Princeps illustrior privato, eò longè à mendacio, alijsq; peccatis rece-

Schul. in tr. supra quæst. an fid. sit hær. servanda.

dere

detere præsumat. *Fidem* autem *non servare, sine mendacio esse non potest* ut Bl. *ait in cons. 24. incip. Jus abbatialis dignitatis*. Neq; obstat, quod Princeps sit ll. solutus: cùm, licet quibusdam sit solutus; ex contractibus tamen, ut s̄ dixi, omninò tenetur, æquè, ac privatus quispiam. Si enim ex obligationibus non teneretur; neq; is, qui cum eo pactus est, aut contraxit; stare contractui teneretur: relatorum enim eadem est ratio, secundum Logicos: sicq; elusoria esset voluntas utriusque; & perfidiæ ab ipso Principe aperiretur fenestra, quæ à tali dignitate & Majestate longè abesse debet. *Vita enim & facta Principum speculo quovis lucidiora esse debent.* Ac veluti verrucæ in facie plus offendunt, quàm in alia corporis parte: ita & in Principe deformius vitium, perfidia & perjurium; quod non solum Deo, sed etiam gentibus omnibus exosum est. Adde, * quòd Princeps in terris sit Lex, & animata justitia, nec fraudum & circumventionum autor esse debet. Et *principali autoritate nemo decipiendus* est text. in l. 1. C. de his qui veniam ætat. impetr. Quippe, quòd *injurias ac fraudes ab eo proficisci non decet, à quo jura oriuntur*? L. meminerint 6. in pr. C. unde vi. cùm id summa injustitia censeatur: quæ ut evitetur, Principes summo studio adniti oportet: ut constantes sint promissorum servandorum: cùm violatæ; & non servatæ fidei pœnas semper perfidi luerunt: id quòd historiæ omnium temporum satis testantur. * Tassilo Bojorum Rex, gener Desiderij Longobardorum Regis; temerè adversus Carolum Magnum, ex Italiâ redeuntem bellum movit: quòd cùm Carolus intellexisset, statim ei duobus distinctis exercitibus, occurrit. Eâ celeritate Tassilo territus, pacem petijt, quam impetravit. Cùm autem paulò pòst, fidei datæ immemor, bellum renovasset, eâ ipsâ in expeditione à suis non tantùm destitutus; sed fidei violatæ accusatus, Carolo traditus, ac per eum Regno multatus est. Ludovicus Bosonis Burgundiæ regis filius, per Taurinos transiens, Italiam invasit: sed à Berengario Iuniore captus, eâ conditione dimittitur; ne in Italiam revertatur. paulò autem pòst, cùm oblitus fidei datæ, cum exercitu redijsset, Veronamq; occupasset, captus à Berengario, oculis & testibus privatus est. Sic Ladislaus Rex Ungarorum, violatæ fidei tristissimũ in se & suis exitũ expertus est. Longè sanctiùs & meliùs fecit Franciscus I. Galliarum Rex; qui, cùm Carol. V. (qui eum in Hispaniâ captum diù detinuit,) per Galliam iter

* Gail. obs. 2. obs. 55. per text. in Authen. de Coss.

* Iacob. Schult. dict. tr.

iter faciens, apud eum in arcem divertiſſet, quam ad ejus exemplũ exædificaverat, in qua captivus detinebatur: & à quibuſdam aulicis ſuis admoneretur; ut Carolum quoq; detineret captivum; fore enim ajebant; ut hac ratione & Mediolanum, & regnum Nea-
» politanum recuperaret: eiſdem reſpondit: *Minimè eum decere, ut*
» *pacta violaret.* Qui licet occaſionem oportunam habuerit eum de-
» tinendi; maluit tamen fidem ſervare datam, quàm perfidus audire. Sanè Principis Majeſtati nihil lumen adfert majus, quàm fides dictorum factorumq;, & conſtans ſervandi voluntas. Quapropter & Emblema hoc nihil aliud innuit; quàm, Fidem Principum, privatorum longè eſſe debere præſtantiorem. Ut enim gemma, licet parva, pluris æſtimatur, quàm ſaxum, quantumvis magnum: utq; auro, tanquam precioſiſſimo metallo propterea includitur, ut dignitas ejus effulgeat: Ita Regum vel Principum data fides, ex Conſtantiâ & obſervatione apparere debet. Nam ut ſtatus & Majeſtas eorum ſupra vulgus eſt: ita ſupra aliorum conditionem hominum & pacta, fidem & mereri & ſervare debet. Anuli præterea & manus ſignificatio hieroglyphica, amicitiæ & fidei eſt. Symbolum autem, ALIQUID PRECIOSIUS AURO, docet: Principis fidẽ nudis verbis datam, majus quid eſſe debere. Hinc & illa verba poſita in literis Principum, vel verborum obligationibus: * Bey unſern Fürſtlichen ehren und trewen ꝛc. tantum valent; quantum verum & corporale juramentum, eoſdemq; producunt effectus. Ut autem juramentum frangere cuilibet turpe: Ita datam fidem, vel hæreticis non ſervare, Principibus turpiſſimum. Plato lib. 2. de Legibus: *Turpiſſimum eſt quempiam, ſed inprimis Magiſtratum, Rempubl: aut Principem, eo ipſo ore mentiri, & fallere, quo* DEUM *invocat.* * *Nullum majus indicium excelſi & conſtantis animi in Principe habemus, quàm fidei & propoſiti conſtantiam. Nec enim facilè reperias Virtutem, quæ majorem vim habeat animos hominum conciliandi, comparandiq; auctoritatem.* Idem ibid. *Generoſum & verè regium eſt, ipſâ re, quàm dictis magnificis populum demereri malle. Ut enim facta admiramur, verba approbamus: ſic multò clariores carioresq; evadunt, qui reapſe plura præſtiterunt, quàm verbis ſunt polliciti.*

* Gail. obſ. 59. lib. 2.


Danæ: lib. 5. Polit. Chriſt. aphoriſm. 42.

* Caſman. in Syſt. vitæ Polit.

EMBLEMA

# EMBLEMA XLV.

## VIGILANTIA ET FIDE.



*Cura vigil Regum, populos tutatur & urbes:*
*Hostis ne tacitâ fraude nocere queat.*
*Est quoniam officij pars non postrema Senatus,*
*Securos cives reddere in urbe suos.*
*Estq; Fides Ducis, arx tutissima plebis: in ipsâ*
*Cùm qua salutis non tecta pericla latent.*
*Advigilare decet, qui vult duxisse triumphum.*
*Securus bello nulla tropaea locat.*

Goslic. de opt. Senat. lib. 2.

IUlius Cæsar in bello Pharsalico, C. Crastinum optimâ spe in pugnam egredientem; interrogasse fertur; ecquid de eventu belli speraret? at ille manum armatam extendens, *Vincet*, inquit, *Cæsar, & me vivum; aut certè mortuum laudabis*: quod evenit. Hic enim fortissimè pugnando occubuit; eumq; Cæsar pro concione laudavit. Fit sæpissimè, ut viri fortes, fidentiam ex præsagijs quibusdam concipiant; vel cùm vincere consveverunt; vel viribus suis & copijs, alijsque rebus freti, certâ cum spe magnum animum intra se concipiunt, honestum aliquod efficiendi. Id

" quoq; verisimile est: *Viros Heroicos habere singularem à naturâ genium; qui eos de futuris rebus admonere; aut etiam absterrere soleat*: ut de Bruti malo Genio Plutarchus refert. Hinc Romani Genios coluerunt, (qui Boni & Mali fuerunt:) & eorum auspicijs fidere, ijsq; sacra facere soliti sunt. Unde Horat. 2. Epist.

*Tellurem porco, Sylvanum lacte piabunt,*
*Floribus & Vino Genium, memorem brevis ævi.*

* Mythol. lib. 4. c. 3.

de quibus plura apud * Natal. Com. Et in veterum nummorum inscriptione apparet: GENIO AUGUSTI, GENIO SENATUS &c: hinc Ovid: *Et vigilant nostrâ semper in æde lares.*

Tali ex fidentiâ, SECURITAS, *frequentissimum*, ut Velleius ait, *calamitatis initium* oritur. Illa quidem, si Prudentiâ Consilioq; regatur; vix Reipub: quicquam magis salutare accidere potest: eamq; Felicitatem meritò appellandam felicissimam censeo, cùm (cœteris paribus) in eâ omnia tranquillè, securè, bonâ in pace, sine ullo timore, sine querelis, sine tumultibus peraguntur. Ubi autem Princeps; vel Respublica rebus omnibus abundans, desidiæ, languori ocio dedita; securam, satisq; se tutam esse confidit;

» » ibi certa præ foribus advigilat ruina. Diuturnitas enim pacis, & rerum abundantia SECURITATEM, & Contemptum hostis plerumq; gignere solent. Qui verò nihil timet; is facilè opprimitur. Sic Pompejus contra Cæsarem magno collecto exercitu, se satis securum adversus ejus vim esse ratus, quosdam, quibus Cæsaris vigilantia & diligentia non temerè suspecta fuit, admonentes, ut cautior rem suam promoveret, nec admodum securus, aut desidiosus esset: ipsosmet securos, & in utramq; aurem dormire jubebat. Sed securitatis, aut potiùs desidiæ suæ dignas luit pœnas. Nam paulò pòst à Cæsare victus miserè & fugatus fuit. * *Nihil* itaq; *tuto in*

* Curtius. lib. 6.

*hoste despiciatur: quem spreveris, valentiorem negligentiâ facies.* Adde, quòd * *contemptus hostis sæpè cruentum certamen edidit, & inclyti populi regesq; per levi momento victi sunt.* Quapropter, ut in Republicâ SECURITAS VITANDA & Magistratui, & civibus: Ita Fiducia mater Securitatis prudentiâ regenda & coërcenda. *Nihil* enim, ut * Lips. ex Livio scribit, *tàm leve est, quod non magnæ interdum rei momentum faciat.* Metuens semper quædam cura sit, sic erit secura. Romæ JANI TEMPLUM, nunquam nisi pacis tempore claudi solebat: sed pacato jam orbe, Octav: Augustus illud clausit, Romam quasi bellis defunctam, & pacatam, ac securam reddens: diù posteà cùm clausum esset, ac URBS omninò belli secura; desidiæ, ocio, ac negligentiæ sese totam tradidisset, paulatim regna, provincias & civitates subjugatas perdiderunt. Nam se populi in libertatem vindicárunt: donec & ipsa Roma, Caput mundi, Gotthorum Imperio subijceretur. Sic securitatis ex diuturnâ pace enatæ pœnas dedit. Qui igitur Princeps, Rempublicam suam, tutam & securam reddere cupit; ille in eam curam incumbat: ut, cùm Pax summa vigeat, plurimam cautionem, diligentiam & Vigilantiam adhibeat, sui, & sui regni caussâ: ac tùm maximè pericula imminere credat, cùm nulla esse credun-tur. Solemus feras securas opprimere & interimere. Et nobis cavendum est dum in aurem utramq; dormimus; ne paci, inducijs, viribus, copijs & fœderibus fidentes, intra securitatis muros obruamur. Maximè autē ea securitas fugienda; quæ Comites habet, Temeritatem, Audaciam, Superbiam, Contemtum & Desperationem. Hi enim, cùm falsâ spe animos nostros securos reddunt, facilè imprudentes in maxima pericla conijciunt. Trojani, dum securi festivitates celebrant, opprimuntur. hostes interea

*Invadunt urbem somno vinoq; sepultam.* Exempla Securitatis, præsertim in bello, quanta pepererit mala, longùm foret hic recensere; suntq; aliquâ ex parte odiosa. Negari tamen non potest: nulli unquam Duci, aut Principi Securitatem, securam felicitatem peperisse. Atq; hoc loco inserere placuit Epigramma vir docti; quod ex vocabulo SECURITAS confecit, occasione datâ ex Turcarum victoriâ de Christianis, cum superioribus annis

* Liv. lib. 21.

* Polit. lib. 5. c. 16.

Chr. Pelar.

Agriam cepisset. TURCA SEVERUS ERIT, VI SECURITATIS. ubi nulla litera, quæ non in unâ istâ voce, SECURITAS.

S *ecuras hominum mentes vigil excitat hostis,*
E *t nos sub vitiis vincit, & in vitiis.*
C *ur tibi promittis mitem? cur PATRIA stertis*
U *sque? severus erit sævior ipse feris.*
R *ides, tot numerans urbes, tot castra recensens?*
I *lle ais, ecquis erit, qui meus hostis erit?*
T *ot fueris quamvis inter SECURA secures:*
A *ucta tamen fuerit Turcica cura tibi.*
S E *rogo* CUR ITA *Se mage prodit Turca severum?*
» *Vincere securos vi licet exiguâ!*

Emblema igitur hoc, turris videlicet excelsa, in cujus summâ parte canes vigilantes positi; Principis officium in bello maximè notat. Nam veluti turres & arces ideò extruuntur, ut terreant & arceant hostem: utq; ex ijs adventantes hostes prævideri & caveri possint. Ita Principis Prudentia & Vigilantia, turris instar est, cives suos defendens, ac tutos reddens: atq; in eo cura illius versari debet, ut Aristoteles docet in Politicis; ut impendentia pericula & hostes prudentiâ prævertat; remq; publicam tueatur. Sic & olim Canes eum in finem in turribus & speculis educatos & altos fuisse legimus; ut latratu suo, & vigilantiâ, hostes & prædones proderent * Canis enim custodem, ob vigilantiam, sedulitatem, quæ in canibus conspicitur, & in custodibus requiritur, denotat. de quorum fidelitate elegans extat * Carmen, qui inter cætera hæc scribit:

*Ioh. Pier. Hierogl. lib. 5.

*Iac. Micylli.

*Hic custos pecorum tuaq; villæ,*
*Fures exigit arduos luposq;.*
*Nec non arcibus ille præsidentes,*
*Tutos nocte suo facit latratu.*

* *Tempestivus metus, prudens securitas est: nimius verò contemptus, temeritas insidiis facilè excipienda.*

*Onos. in Strategico. c. 36. circa finē.

EMBLEMA

# EMBLEMA XLVI.

## PAUCIS SUPPLENDUM.



*HIc vellit summas, humiles relinquit aristas;*
*Cum stipulis pereat ne quoq; tota seges.*
*Parcendum est plebi; quæ aliorum erroribus acta,*
*In regem, aut proceres bella nefanda movet.*
*Sontibus â paucis pœnæ sumantur: iniquum*
*Qui movére dolo seditionis opus.*
*Justitiæ ac juris ratio quia postulat æqua:*
*Criminis alterius pondera nemo ferat.*

SEditiones & diſcordias, quæ in Republ: ſœpè excitantur, ſemper juris, aut facti alicujus prætextu fieri verisimile eſt. Vix enim adeò effrenis civis vel Magiſtratus invenitur; qui motus & turbas, citra cauſæ alicujus ſpeciem excitaret: uſq; adeò facta vel bona; vel mala, juris auxilio & integumento involvuntur. Neq; reperias ullam Rempub: legibus adeò firmatam, Conſilio & Prudentiâ Magiſtratus feliciter gubernari; in quâ cives, quod reprehendant, non offenderint; dumq; omnia ex ſuâ ſcientiâ & ingenio metiuntur; non intelligentes, quo fine Princeps vel Magiſtratus Conſilia ſua in Repub: dirigat; facilè quoq; ſui ſimiles inveniunt ignorantes; & rerum novarum cupidos, qui eorum ſenſui aſtipulentur: unde factiones & ſeditiones: donec tandem ad arma veniatur. Nam homines quò ignorantiores & impotentiores; eò quoq; fidentiores ſunt. Quod ideò fit; quia quid ſibi deſit ignorantes, nihil ſibi deeſſe putant, hocq; Opinionis faſtu faſcinati, majora viribus & neceſſitate tentare non dubitant; quò tandem etiam res ſit perventura ſecuri. hinc ut Tacitus ait: *quantò quis audaciâ promptus, tantò magis fidus, rebusq; motis potior habetur.* Tales quoq; facilè plebem ſuis factis faventem inveniunt, quæ alias, ut * Lipſius inquit, *ſicut mare per ſe immobilis eſt, niſi Æolis excitaretur, qui cauſa atq; origo omnis furoris ſunt: reliqui contagione inſaniunt.* quod cum ſit, Principi vel Magiſtratui ſumma cura eſt adhibenda, ut diligenti & exquiſitâ prævià cognitione, remedia tantis malis quærat; aut noxias illas radices, ex quibus rami iſti ſeditionum pullulant, aliosq; venenoſo attactu inficiunt, evellat. Veteribus triplex fuiſſe inſtitutum in vindicando multitudinis delicto ex * Franc. Hottomanno animadverto. Interdum enim de univerſis ſumtum ſupplicium: interdum de ſolis Principibus atq; auctoribus ſceleris: nonnunquam ad minuendam ſeveritatem, ſortem adhibitam fuiſſe. Prioris exemplum ponit ex * Livio. Rhegium quondàm in præſidium miſſa legio interfectis per ſcelus Pp. civitatis, urbem opulentam per decem annos tenuit: propter quod facinus tota legio, 4000. hominum, in foro Romano, ſecuri percuſſi ſunt: atq; hujus facti, ex Jure ratio evidens & juſta afferri poteſt. Nam *quod à pluribus pro indiviſo commiſſum*

Tacit. in Annal. 1.

* Polit. lib. 6. c. 4. ex Livio.

* Quæſt. illuſt. quæſt. 42. Vide Scip. Amirat. diſſert. Polit. lib. 2. diſc. 9.

* lib. 38.

*commissum est, singulos in solidum obligat.* l. semper 15. §. 2. ff. quod vi aut clam. Alterius exemplum sumi potest ex eodem * Livio. *lib. 36.
Capuam, inquit, à Calibus redditum est. ibi in eos, qui capita rerum erant, animadversum. Ita septuaginta Pp. Senatus interfecti, trecenti fermè Nobiles Campani in carcerem conditi. hujusque facti æquitas hæc videtur: *Peccata suos teneat autores* l. sancimus 22. C. de pœnis. *Alieni admissi pœnam non luant, quos nulla contingit culpa,* l. ult. ff. de bon. damnat. Et *unius factum alteri, qui nihil fecit, non nocet.* l. de pupillo. 5. §. si plurium. ff. de nov. oper. nunc. Tertij generis sortitionis videlicet, exemplum est in Crasso apud Plutarch: Solebant enim ex multitudine decimum vel etiam Centesimum, per sortem ad supplicium rapere. Eius ratio hæc adfertur à Cic: * *Statuerunt ita majores nostri, ut, si à multis esset flagitium rei militaris admissum, sortitione in quedam animadverteretur, ut metus videlicet ad omnes, pœna ad paucos perveniret.* Atq; hoc loco Dd. distingvunt inter Universitatem & Multitudinem, ut Universitas sit multitudo, veluti populus, Curia, Collegium, Corpus, Societas &c: quæ magis in jure consistunt. at non omnis multitudo, non omnis cœtus, Universitas: Sed is demum, qui jure aliquo continetur, veluti qui uni imperio, unisq; legibus paret. Distinctione itaq; in pœnâ irrogandâ utendum. Aut enim multitudo temeritate spontaneâ, sine Magistratus auctoritate peccavit: aut, Magistratus solus: aut conjunctim uterq;. Priore casu subdistingvendum quoq; est; Aut non multi delinquentes fuerunt: & tum singulos in solidum obligari. l. item Mela. 11. §. 2. ff. ad L. Aquil. Aut ingens fuit multitudo peccantium, & tùm molliendа pœna, & sorte utendum. Quòd si solus Magistratus deliquit: pœnæ suos tantùm autores & personas tenere debere, ne innocentes nocentinm culpam sustineant. Si verò & Magistratus & Populi consensu delictum admissum: tùm Universitas punienda: id est, adimendo eis leges, Privilegia, jura, immunitates, diruenda mœnia; ut clausæ portæ antea, semper apertæ stent, & similia &c: singulorum exempla aliquot possent quidem huc adferri: sed quia sunt odiosa, satius puto ea omittere, quàm Pp. & populi odium incurrere. De pœnis eorum, qui Crimen læsæ Majestatis incurrunt,

* in Cluent.

vide

*cap. 62. & de seditionib. cap. 63. Henr. Bocer. de Crim. læs. Maiestat. tract.

vide * Jod. Damhouder. in prax. crim. Verumenimverò Principi prudenti maturè Consilio suo convenit occurrere, ne seditiones fiant, aut excitentur; excitatæ, ut sano remedio extingvantur. Inprimis verò errores & eorum causæ multitudini, ante oculos ponendæ, ut agnoscant ipsimet delicta sua, hisq; agnitis pœnitentiam agant, & ne iterum impingant, cohortandi seriò. *Principis* enim *Clementia, bonos meliores efficiet*. at *qui perversi & obstinati, è medio sunt tollendi*: ne, cum ijs boni contagione pravâ imbuti, simul pereant. maturè malum

*Ense recidendum est, ne pars sincera trahatur.*

Atq; ex his sensus Emblematis hujus patet. Vir enim spicas eminentiores evellens; autores malorum, & præcipuè seditionis in Republ: puniendos esse notat: quod olim quoq; hisce signis veteres demonstrare voluerunt. Livius scribit, quòd Tarquinius filium suum docere voluit, Principes vel authores capite esse plectendos; dum in horto summa papaveris capita, præsente nuncio, baculo depopularetur. Atque inde Symb: adjeci PAUCIS SUPPLENDUM: ut docerem, Rigorem juris non modò in causis civilibus: sed etiam in Criminalibus remittendum: nisi aliud factum, & Reipub: causa vel utilitas requirat: cùm *satius sit, pro misericordiâ, quàm pro sævitiâ rationem reddere*. * Eduardi ANGLIÆ REGIS vox celebratur, quà in quodam intestini belli prælio usus fuerat: *Parcite*, inquit, *Civibus, secus autem Ducibus, qui vos infatuarunt*. Vide * Lipsium; remedia quædam seditionis curandæ ponentem: sed prudenter ijs utendum censeo. Non enim ubique eadem Reipubl: forma, tùm perpendendæ causæ deligenter, ex quibus peccatum sit. Aliæ enim graviores & temerariæ: aliæ ex imbecillitate humanæ naturæ proveniunt. Huc pertinet, quod Imp. Just. in Novell. Constit. 30. sancit. *Non est inhumanitas, sed potius summa quadam est humanitas, cùm multi paucorum animadversione salvantur.*

* c. alligat, 26, q. ult.

* Pol. lib. 6. c. 4.

EMBLEMA

# EMBLEMA. XLVII.

Sero Cur Sic.



*HIc mulcet morsu lædentem crura Molossum!*
*Signa nec irati dat manifesta animi.*
*Ut monstret, casus fortunæ tristis acerbos,*
*Quòd Sapiens miti pectore sæpè ferat.*
*Vix accepta licet placidà quis vulnera mente,*
*Cordeq; non tristi tristia ferre potest:*
*Utile sæpè tamen duros tolerare dolores.*
*Namq; malos probitas vincere blanda solet.*

NUlla est fraus nocentior, quàm quæ sub speciæ amicitiæ fit: & eò graviùs ac molestiùs fertur; quòd, cùm fronte pulchra & minimè fallax creditur, nosque tutos, ac ab omni fallaciâ securos reddat; tùm maximè nocet. Hinc *quantò major fiducia exhibetur, tantò major est perfidia frangentis* l. 1. §. cum verò, ubi Bl. ff. depositi, & *gravior est injuria, quando fit ab his, qui nos tueri debent* l. 3. §. de his ff. ad Syll. §. aliæ Instit. de donat. adde, quòd *plus tormenta sæviunt, quæ ab his patimur, de quorum mentibus bona præsumebamus*. Nam tunc facillimum est aliquem decipere, cùm blandis verbis delinitus, ac securus redditus, suas cogitationes ad cavendum non dirigit. Sed quantò major fraus ea est, & æstimatur & fidei prætextu intentatur: tantò majoris & laudis, injurias illatas vel acceptas negligere, & cùm ulcisci possis, ignoscere. Solon interrogatus, quæ optimè civitas habitaretur: *Illa* inquit, *in quâ nullâ affecti injuriâ, non minùs, quàm injuriâ provocati, præ se ferunt injuriam, & eos, qui intulerunt, non ulciscuntur.* Socrates aliquando ab Aristophane publicè in theatro verborum lacessitus contumelijs, non modò ægerè molestéq; hoc non tulit: sed & obviam sibi factum adversarium, humaniter amicéq; compellavit; an se rursus opus haberet, ad similem aliam contumeliam. Et Pittacus injuriâ à quodam affectus, cùm animadvertendi jus in ipsum haberet, spontè eo dimisso, *Venia*, inquit, *ultione melior.* Marcellus accusatus à Siculis, cùm absolutus esset, rogatus ab illis, ut in clientelam eos admitteret, clementer excepit. Magni profectò est animi, injurias illatas ferre: neque omnibus hoc datum, ut perferre possint: sed qui eo animo sunt præditi, ut prudenter eas negligere, & offensas parvi facere norint; ij ultionis, quoties occasio fert, opportunæ, sibi sternunt viam. Justinianus Constantini filius, pulsus imperio à Leone, naribusq; etiam truncatus est: sedis recuperato Imperio, quoties defluentem rheumatis guttam naribus detergebat, toties penè ex ijs, qui contra eum fuerant, aliquem jugulari præcipiebat. Fit quoq; nescio quomodo; ut quamvis injuriarum obliviscamur; in animo tamen nostro scintillæ quædam odij maneant, quas facilè nova injuria, flatu suo in ignem ardentem suscitare potest: ut vetus injuriæ quasi

sopita,

ſopita, novâ gliſcente, majorem vim & robur ſumat ad ulciſcendum; ijq; morſus videntur graviores, præſertim Principum, vel magnorum virorum, qui intra Patientiæ ſeptum diù latuerunt. Sunt enim torrentis inſtar, diù concluſi, qui cùm erumpit, majora ſecum damna trahit. Diſſimulant enim dolorem ad tempus; at eò graviùs nocent, quò novis injurijs provocantur crebriùs. Nolim hîc malus eſſe ulciſcendi magiſter; dùm modum, ſed tamen adverſus apertum hoſtem, pono: mandata non ſunt, ſed præcepta generalia, quibus prudenter uti, prudentis erit.

*Diſſimula, quantumq́; potes, preme corde dolorem:*
*Quæq́; voles fieri vi, peragenda tege,*
*Donec certa rei faciendæ occaſio, tempus,*
*Atq; locum, atq; hoſtem detegat ipſa tuum.*
*Hinc animos ſumas, vireſq́; intende, quid obſtat,*
*An virtus hoſtem proterat? anne dolus?*

Non nego, grave eſſe, injurias, quæ Reipub: inferuntur, negligere: quoniam neglectæ novas parere ſolent: neq; ſemper utile eſſe eaſdem inferenti remittere: videndum tamen Principi, num opportunè eaſdem ulciſci, & citra ſuam, ſuorumq; perniciem juſtè refundere poſſit. Senecæ præceptum hîc imitandum: *Si imbecillior eſt, qui te læſit, parce illi, ſi potentior tibi parce.* Nam, ut Cic: * inquit, *qui injurias ſuas perſequi volunt, dolori ſuo, non Reipub: commodo ſerviunt.* Sed privatas injurias Reipub: causâ condonare, aut diſſimulare, ſapientis ſemper eſt habitum. *Imò magni animi eſt*, ut Seneca ait: *in ſummâ potentiâ injurias pati, nec quicquam eſt glorioſius Principe impunè læſo.* Hinc & * Camillus meritò laudatur, qui tantus vir maluit afflictæ patriæ, quàm ſuæ propriæ injuriæ memor eſſe; unde & alter Romulus appellatus fuit. Ac ſanè ad injurias perferendas, etſi ægrè animus adduci poteſt: cùm, recordatione malorum illatorum, ad ultionem ſubinde excitetur: attamen ſi luctæ huic ſe fortem præbuerit; maximum victoriæ ſpecimen edet, præſertim Patientiæ ſcuto tectus. Hæc enim optimum remedium malorum. Cujus gradus novem, Chryſoſtomus ponit. I eſt, injuriæ auctorem non fieri. II ubi injuria facta eſt,

* in Verr. act. primâ.

* Livius lib. 5. decad. 1.

Reuſn in Symb. Theodoſii. III.

par pari referre nolle. III Injuriam non reponere, sed quiescere. IV Præbere seipsum ad ferendam injuriam. V Præbere se etiam ad majora, quam vult is, qui facit injuriam. VI Non odisse eum, qui facit injuriam. VII Inimicum diligere. VIII Eidem benefacere. IX DEUM pro ipso deprecari. Atque hinc consideratis hisce Patientiæ gradibus, Emblematis evolutio patet. Canem enim crus viri lædentem, hostem intelligo; cui aliquando benefeceris: quòd verò eundem mulcet, id summæ Patientiæ argumentum statuendum est. Symbolum, SCIO CUR SIC. ex facto mihi in mentem venit. Nam, ut dixi, quotusquisque est, qui injurias æquo animo perferre possit? ut easdem ulcisci & rependere non malit; sed sapientis est oblivisci, aut saltem dissimulare *& injuriæ, ut pillulæ deglutiendæ potiùs, quàm masticandæ.* Quippè juxta Val. Max. *Speciosiùs aliquantò injurias vinci beneficiis, quàm mutui odij pertinaciâ pensari.* quoniam juxta * Satyricum

* Iuven. Sat. 3.

*———— quippe minuti*
*Semper & infirmi est animi, exiguiq; voluptas*
*Ultio; continuò sic collige, quod vindicta*
*Nemo magis gaudet, quàm fœmina.* & alius:
*Non ego magnanimum fatear, quem sola juvabit*
*Ultio.* *Magna* è contra, ut * Hugo ait, *Virtus est, si non lædas, à quo es: magna est fortitudo, si etiam læsus remittas: magna est gloria, si cui potuisti nocere, parcas.*

* de claust. animæ.



EMBLEMA

# EMBLEMA. XLVIII.

## MERCES DIGNA LABORE.



*LUditur ut meritò, flatum qui pressius auræ*
*Spirantis raro claudere rete velit:*
*Sic quorum tumidas fallaci flamine mentes*
*Fascinat & ludet, ambitiosus honor.*
*Haud priùs immodicos desistunt pectore fastus*
*Concipere, & vanas quærere laudis opes:*
*Quàm rerum & vitæ* MERCES, *Jactura,* LABORE
DIGNA *levi tandem triste sequatur opus.*

TAnta eſt humanis mentibus innata gloriæ & Honoris cupiditas, ut pro eo conſequendo, non ſolùm opes, & quicquid ſummo in precio mortales habent, elargiri haud dubitent: ſed ipſam vitam, quâ nihil eſt, nec eſſe poteſt, aut debet amabilius, charius & precioſius, profundere nullo modo renuant. quod præter innumerabiles alios M. Salvius Otho Imperator Rom: demonſtravit: Is enim, referente Svetonio, tanta Imperij cupiditate flagraſſe ſcribitur; ut non diſſimulárit, *Se, niſi Principem, ſtare aut vivere non poſſe; nihilq; referre, ab hoſte in aciè, an in foro ſub Creditoribus caderet*: qui licet largitionibus, atq; alijs artibus Imperio fuit potius: diù tamen illud non retinuit. Nam cùm Galbam competitorem haberet; illudq; ſibi aut deponendum: aut non ſine inſigni civium ſtrage, defendendum videret: ne ipſius cauſâ tot perirent, ſponte mori decrevit. Cumque ab amicis & militibus admoneretur, ne de victoriæ eventu tàm citò deſperaret: *Se neq; Imperium, neq; vitam ſuam tanti facere reſpondit: ut ſui causâ multi caderent, aut belli civilis & diſcordiæ ille cauſam præberet*: ſicq; ſibi intulit manus. de cujus morte Martialis:

Martial. Epigr. lib. 6.

*Cum dubitaret adhuc belli civilis Enyò*
*Forſitan, & poſſet vincere mollis Otho:*
*Damnavit multo Saturum jam ſangvine Martem,*
*Et fodit certâ pectora nuda manu.*
*Sit Cato, dum vivit, ſanè vel Cæſare major:*
*Dum moritur, nunquid major Othone fuit?*

Agrippina Neronis mater, cum ei Vates quidam prædixiſſet; Neronem Imperatorem futurum, ſed eam occiſurum. Occidat ſanè, modò imperet, reſpondit. Tanto ambitionis faſtu fœmina æſtuabat; ut Imperio filij vitam poſtponeret. Et ſi æquâ lance cauſas calamitatum in Repub: & imperijs trutinare voluerimus, tres reperiemus certiſſimas; Ambitionem, luxuriam & Avaritiam: quæ licet turpes per ſe & enormes ſint: primam tamen, cladium potiſſimam matrem eſſe, exemplis omnium ætatum demonſtrari, ipsâq; experientiâ probari poteſt. Cujus quidem tanta vis eſt, ut, cùm animos & mentes hominum ſemel occupârit: eos nunquam quieſcere, nunquam partis honoribus contentos eſſe ſinit, donec tandem, quaſi extra ſe poſiti, ſui obliviſcantur: plurima tentent, & magnis conatibus, ſæpè cum bonorum propriorum, & aliorum

jacturâ, imò vitæ dispendio, ad extrema deveniant. Præsertim verò, si quid semel ex voto successit, semper se majora assecuturos sperantes, medijs quibuscunque ad majora aspirandi utuntur. Quòd si videant, ex gradu spei honorum adipiscendorum se dejectum iri, aut casuros: ut dedecus specie aliquâ honesti effugiant, quodlibet etiam facinus, cum Reipub: periculo aggrediuntur. Julius Cæsar, omnium quot fuerunt, ambitiosissimus, dominante adhuc Syllâ, cùm primum pubesceret, Rom. Populum adijt, Sacerdotium maximum Romæ fidenter ambivit: adeò, ut etiam cùm ad Comitia abiret, matri prædixerit: se, nisi Pontificem, domum non reversurum. Quid dicam de Cinnâ, Mario, Pompejo multisq; alijs? quorum ambitionem, seditiones, factiones; bella civilia tandem cum Reip: interitu sunt consecuta! dumque alter alteri sese præferre, & dominandi cupiditate neuter cedere contendit, Respublica interea damnum est perpessa. Non enim publicam utilitatem & tranquillitatem: sed privata commoda & honores spectabant. Unde de Cæsare & Pompejo Lucanus.

—— *impatiensq; loci fortuna secundi,*
*Nec quenquam jam ferre potest, Cæsarve priorem*
*Pompejusq; parem.* Naturæ enim ambitiosæ non possunt inter se colere amicitiam: qnamcunq; præ se ferant benevolentiam: tamen reverâ oderunt se, & hoc agunt, ut evertat alter alterum. *Nulla fides regni sociis, omnisq; potestas*
*Impatiens Consortis erit.* Sic Themistocles cum Aristide in eadem urbe vivere non potuit. Arrogantiæ porrò, & ambitionis rarò felix eventus: quoniam illa vincula sangvinis, necessitudinis jura solvit. Hæc Romulum compulit, ut fratrem occideret. Hæc Justinianum Cæsarem, ut patruum. Hæc Andronicum, ut Alexium pupillum. Hæc Constantinum Pogonottum, ut duos fratres germanos interimeret. Taceo barbaros Cæsares Turcicos. Hæc hominum mentes dementat; ut se non agnoscant: & fastu turgentes alios quoq; despiciant, solique præ cæteris Magni audire volunt. Sic * Nero Romam Neropolim appellandam destinasse: & mensem Aprilem Neroneum, â suo nomine nuncupasse scribitur. Quanta Commodi Imp: ambitio? qui Romam de suo nomine Commodianam: & exercitus suos Commodianos appellavit. Sed si introspicere in rei veritatem velimus;

* Sveton. in Nerone.

videbimus, quòd, qui ipsi honores largitionibus, & quibusvis modis alijs ambiunt propriæ Virtuti diffidere videntur. Hanc quoniã sponte sequitur honos, ut umbra Corpus. Quippe, dum vastas cogitationes concipiunt, quæ nec limitibus circumscribi, neque carceribus includi possunt; non secus faciunt, atq; illi, qui ventum amplo & laxo rete colligere laborant. Multa sibi promittunt ambitiosi, multaq; consilia & varia agitant: quorum eventum ut plurimùm Deus, uti ipse vult regit, & quò vult, impellit. Emblema igitur Ambitionis Symbolum est. Ut enim aurâ vel vento nil levius, nil mutabilius: sic mundi hujus Honore & gloriâ, nihil inconstantius! Flatus sunt prætervolans. Si enim solida Virtus abfuerit, non minùs captata concluditur, ac ventus ut dixi rete. Adjeci Symbolum MERCES DIGNA LABORE. Nam ut Catul. ait. sicut *Stultus labor est ineptiarum*: Ita quoq; ambitionis vanæ, vana merces. Vera autem *virtutis merces Gloria est, nec quidquam est aliud, quo magis ad rectè, honestéq; agendum, præstantis animi homines accendantur.* hanc qui appetunt vero virtutis amore, Honorem laborum reportant præmium. *Nihil enim præstantius, aut beatius accidere homini potest, quàm eo loco donari, in quem ut ascenderent urbis nostræ conditores, nullum periculum, nullum laborem, nullum deniq; certamen prætermiserunt, ac, si privatæ utilitatis & commodi habenda ratio est, nullam aliam expetere, aut optare vir sapiens præter hanc unam debet &c:* Proinde certo certius est, quòd ambitiosi & arrogantes, dum alios despiciunt, ipsi ab omnibus despiciantur: qui dum se contemni animadvertunt, intra se anguntur, atq; ex impatientiâ, ad extrema non rarò veniunt. Huc pertinet Colloquium Pyrrhi Epirotarum Regis & Cyneæ, qui argutè Pyrrhi ambitionis virus perstrinxit: quod, ut ille * ait, *initiò non cognitum, progressu temporis auctum, successibus exaggeratum, cogit pectora mortalium, ut speciosa consilia amplecti, salutaria contemnere, primâ fronte læta, in recessu horrida quæq; & funesta soleant experiri.* Quapropter, qui in Repub: honores adipisci & adire cupiunt, virtute & rebus præclarè gestis sibi viam sternant: tales enim veram gloriam, & nominis æternam memoriam consequentur. Qui alijs modis & rationibus eam consequi nituntur: lubricum & inconstans subsidium apprehendunt.

Cic. de Consol.

* Christoph. Varsevic. in Paradoxis.

EMBLE-

# EMBLEMA. XLIX.

## PRECIO PREOIOSIOR OMNI.



*UT bene pinguescit, tutò sua pabula carpens,*
*Quem herboso dominus gramine pascit, equus!*
*Ne tamen omninò liber per lata vagetur*
*Arva: pedes ejus dura catasta tenet.*
*Libertas equidem* PRECIO PRECIOSIOR OMNI,
*Urbibus ac populis commoda multa parit:*
*Sub Duce nempe probo illam defendente: sed a quis*
*Nî quoq; stringatur legibus: usq; nocet.*

---

EA est omnium rerum conditio: ut, quò quæq; suâ bonitate, & justâ qualitate ac modo constans; pulchrior, excellentior, ac præstantior esse soleat: eò turpior, abjectior & nocentior censeatur,

Vide, 1 Discorsi del Conte Annibale Romei, della Bellezza,

censeatur, cùm modum & qualitatem suam excedit aut mutat: nec suis in terminis consistit. Quid homine sano & vivo pulchrius? quid mortuo horribilius? quid judice justo amabilius? quid injusto & corrupto iniquius? quid Libertate præstabilius? quid licentiâ & servitute execrabilius? Nempe, quò usq; res limitibus à naturâ, ratione & legibus circumscriptis continentur, pulchræ & excellentes censentur habenturq;: subinde ac metas suas egrediuntur, multa incommoda pariunt, & secura trahunt. LIBERTATE plurima regna, populos & Urbes quondam floruisse legimus; quò usq; ejus jura salva & defensa fuerunt, ac homines in eâ liberi, eâdem rectè & justè uti frui sciverunt: mox atque exorbitaverunt; & Licentiæ frena, sub libertatis prætextu, laxárunt; non solùm Libertatem ipsam amiserunt; & jugo servitutis turpissimæ, colla sua dare coacti fuerunt: sed Imperium quoque concisum, alienisq; arbitrijs expositum fuit. Nonne Judaicus Populus libertatem jactavit suam? *Semen Abrahæ sumus, & liberi sumus, nec ulli servivimus unquam*? sed quò Libertas eorum progressa? Græcorum Imperium libertate concidisse scribitur; quæ talis & tanta fuerat, ut motibus perpetuis, & licentiâ concionum, tanquam flabello seditionum, omnia in eâ agitarentur. Ubi nunc ea cum Imperio? Quid de Rom. Populo dicam? qui non tantùm Ipse liber fuit: sed liberis quoq; gentibus & populis imperitárit: leges & normam liberè videndi præscripsit, quod Cic: testatur. *Alias quidem rationes servitutem pati posse: Populi Rom. proprium est LIBERTAS.* quò tandem evasit? ut scilicet alijs gentibus paréret: & qui Domini dominorum fuére: districto in partes Imperio, barbaris etiam servirent. Quid de vicinâ nostrâ Hungariâ? Nonne libera fuit? sed cùm libertate suâ abuteretur: & frequentibus conventibus, (qui à quodam rure ad Pestum, RAKOSZ dicebantur,) præsertim sub Matthiæ, Uladislai, & Ludovici regum gubernaculis; nova quædam molirentur; invidiâq; ac odio inter se certarent: potentioresq; imbecilliores opprimere conarentur: eò ventum est; ut Turca posteà maximam partem regni occupârit: eosq; Libertate illâ exuerit, ac spoliârit. Libertate sanè in Republicâ vix aliud summum Bonum esse potest: quam non solùm homines; sed & bruta animantia appetunt: in cujus salute, regni salus, ac populi felicitas consistit: unde in eâ retinendâ, conservan-

*Ioh. 8.


Cic. Philip. 6.

adq; neq; opibus, neq; vitæ parcendum est. Philippus Macedo, cùm ex Lacedæmone quodam victo quæreret, quid tandem victi acturi essent? animosè respondit. *Pro libertate moriemur.* Tantus amor & cura fuit eorum, ut pro communi libertate defendendâ, occumbere haut vererentur! Nec immerito! Quid enim miserabilius esse potest? quid turpius homini ingenuo, vel populo libero? quàm serviles operas & abjectas exequi? quas animus, & Natura detestatur, manus pedesq; fugiunt? & cùm sui juris fuerit, alieno subijci?* Seneca. * in Troade.

*Si pœna petitur, quæ peti gravior potest?*

*Famulare collo nobili subeat jugum.* Unde & Cic: *Cùm tempus & Necessitas postulat, decertandum est manu, & mors servituti & turpitudini anteponenda.* Atq; hodiè gentes quasdam nihil frequentiùs audias, quam LIBERTATIS nomen, libertatis jura, nec non quodcuuq; agant, licet vis accedat, sub libertatis præsidio facere. Cùm tamen nihil absurdius, nihil iniquius, & licentiosius fiat ab ijs; dum, quid vera Libertas sit, & in quo consistat, ignorent: ex quâ ignorantiâ sœpè sequitur, ut libertati nimium fidentes, (quæ potiùs LICENTIA appellanda est) cottidiè nova appetant: ac tùm nemo subsequi, sed præire vult. Nam quod sibi quisq; licere putat, idem decere sentit: inde Reipub: mala originē ducunt. *Libertas* autem ab Imp: Justiniano definitur; quod sit *naturalis facultas ejus, quod cuiq; facere libet, nisi si quid vi, aut Jure prohibeatur.* §. & libertas. 1. Instit. de Jur. personar. *quæ inæstimabilis res est.* l. libertas 106. ff. de R. I. l. libertas 122. eod. Cujus gradus aliquot hîc ponere erit operæ precium, ut his cognitis, veræ libertatis opes & effecta appareant. Primus gradus est, *Secundum rationē vivere.* Ille enim demum liber est, qui rationem rectam tanquam Ducem sequitur. Ratio autem id docet & monstrat, ne falsa pro veris, ambigua pro certis arripiamus. Qui verò affectibus servit, ille liber esse non potest, cùm eum quasi captivum, aliò affectus, quàm ratio, ducant. II. *Secundum leges vivere.* Qui enim secundum leges, (quæ maximo judicio feruntur, & naturalem rationem sequuntur) vivit: ille quoq; liber est. Unde * Cic: *Ideo legibus servimus, ut liberi vivamus.* Servire igitur legib⁹, & secundū jus vivere, vera est Libertas. Jura autē Libertatē tuentur. III. *Magistratui obtempera-* * de LL.

*re*. Jura enim cum per ſe ſint muta, nec juvant, nec nocent, niſi ſit, qui ea, ſecundũ qualitates rerũ & perſonarũ, ac facti adminiſtret: ideò Magiſtrat⁹ eſt viva lex; qui debet eſſe adminiſtrator, defenſor, interpres, & executor legũ: cuj⁹ eſt vis hæc, ut præſit; præſcribatq; recta & utilia, & conjuncta cũ ll. Ut enim magiſtratibus leges: ita populo præſunt Magiſtrat⁹: vereq; dici poteſt, Magiſtratũ eſſe legẽ loquentẽ, legẽ autẽ mutũ Magiſtratũ. Summa igitur Libertatis felicitas eſt, habere aliquẽ in Repub: ſummũ, qui ejus jura defendat. Nam ſecundũ Ariſtot: *nihil proſunt aureæ ll. ſi nõ itẽ ferro & præſidiis communiantur*. IV. *Ut ſit perpetua*. Nihil enim juvat, Libertatem acquirere, niſi Reſpubl: & poſteri eã retineant, & eâ fruantur ſemper. Ut igitur ſit perpetua, eã tandẽ vitæ profuſione conſervare decet. neve licentiâ nimiâ infringatur. Sic enim Græcia perijt. ſic alia regna.. V. *Ut perennet, defenſione opus eſt:* non quò ad privatos, ſed maximè adverſus publicos hoſtes. Quod enim nõ defenditur, obvium eſt prædæ cujuſq;. Neq; hîc exemtã libertatem â tributis & alijs, ad neceſſariã defenſionem intelligo: cùm ſine tributis nulla Reſpub: conſtare poteſt. VI. *Ut æqualiter omnes eâ utantur fruantur*. Ut inferiorib⁹ nõ denegetur, quod ſuperiorib⁹ licet, intellige ſecundũ jura & leges. VII. *Tandẽ ut bonis omnia liceat, præter malè, malis autẽ nihil, præter benè agere*. Virtus enim, juxta Tullium, jus ſuũ, & impunitã omniũ rerũ libertatẽ tenere debet. Senſus igitur Emblematis hîc eſt. Ut per equũ ſervitutẽ quidẽ intelligã liberã: populũq; liberũ legib⁹ vinctũ. Virũ autẽ muſcas ab equo pabulante abigentẽ, Principẽ & Magiſtratũ; qui populũ contrã hoſtes tuetur. Muſcas verò, infeſtũ gen⁹ æſtate equis, Licentiã noto: vix enim ulli inſecto, id licet, quod muſcæ. Per vincula quibus eſt alligatus equus, jura ſigno. hæc enim vera ſunt vincula, & retinacula, quib⁹ malorũ audacia & vis, nec non licentia ſtringitur, atq; cohibetur: per gramen tandem, opes & commoda, quæ ex ſervitute liberâ, & libertate verâ proveniunt, innuo. quæ cùm per ſe PRECIO ſit PRECIOSIOR OMNI; tùm Rebuſpubl: præſertim liberis; legibus, & ubi opus, armis conſervanda, defendenda, augenda. Porrò



# EMBLEMA. L.

## CAUTE AUT NUNQUAM.



*RES facilis bellum movisse: imponere finem*
*Exultans victor non nisi quando velit.*
*Nempe suas vires quivis benè ponderet ante;*
*Certamen belli quàm subiisse cupit.*
*Felicibus haut tutum est caveam scalpsisse Leonis:*
*Scommate nec populo stringere velle Ducem.*
*Saevit uterque potens, quamvis ignoscere possit.*
*Impare vi alterius nemo lacessat opes.*

QUemadmodum pars non poſtrema Sapientiæ cenſetur: ſi quis ſeipſum cognoſcat. ingenij & corporis vires, divitias, amicos, clientelas, & id genus alia, æquâ rationis lance apud ſe probè examinet: ut quantum valeat, exactè ſcire poſſit: Ita temeritatis eſt ſummæ; ultra vires & facultates quicquam aggredi, aut tentare. Fieri enim nullo modo poteſt, ut illud diù conſiſtat, quod impari cum viribus conatu ſuſcipitur. Idq; non ſolùm privatis in rebus unicuiq; maximè obſervandum, cujus facultates facilè exhauriri poſſunt: Sed etiam Principibus, quorum Potentia & Majeſtas amplior & diffuſior eſt, in eam curam incumbendum; ut Viribus Imperij ſui, benè exploratis, & Reipub: facultatibus probè perſpectis, ſciant animi cupiditates in obtinendis alienis regnis, vel ſuis conſervandis frenare & metiri: ne ultra modum, vires, facultates, potentiam quicquam aggrediantur: dumq; potentiores ad bella provocant. propriâ potentiâ ſpolientur. Rectè
* lib. 4. c. 1. enim * Val. Max. *Ea demum potentia tuta eſt, quæ viribus ſuis modum ponit.* Nihil autem diuturnum eſſe poteſt, cui non ſubſit modus & Ratio. Quanquam humanæ cupiditatis nulli ſint fines, præſertim ubi mentem Lerna illa malorum Avaritia ſemel occupavit: nunquam enim quieſcere animum ſinit, quin per fas &
* Tac. 15. Annal. nefas partis plura adijciat: illudq; Viris magnis vulgare. * *Sua retinere privatæ domus, de alienis certare, regiam laudem eſſe.* Attamen niſi prudenter id faciant & cautè, certaminis victoriâ facilè fruſtrabuntur. Nam dum cauſæ ſuæ jure freti, ad bella animum adjiciunt, aliosq; provocant, quando aliter jus ſuum ſe defendere non poſſe exiſtimant, imparesq; ijs ſe non agnoſcunt: facillimè in ipſo conflictu atteruntur; ſubſidia neceſſaria, præſertim ſi bellum continuari aut protelari debeat, non habentes, Inſtrumentisq; ad
* Lipſ. 4. Polit. c. 9. Potentiam neceſſarijs deſtituti: qualia ſunt * *Opes, Arma, Conſilia, Fœdera, Fortuna*: & licet ea habeant, ſi tamen mutatâ fortunâ, ijs rectè uti neſciant, quorſum & iſta? Quapropter omnium Sapientum calculo firmatum, id ſvaſerim omnibus, cujuscunque ſint ordinis & ſtatus; præſertim verò qui populis præſunt; ut cum Potentioribus pacem colant: neq; cum ijs colluctentur, qui viribus ſunt ſuperiores: opibus ſupra alios aucti, populis, amicis, fœderibus majores & tutiores: Fieri enim vix poterit, quin ſe, & ſuam

perdant

perdant. Non ex levi causâ bella moveant; aut ad certamen prosiliant. Apud Virgilium notatur à Modestino ICto belli caussa inter Trojanos & Latinos. Cervi scilicet cædes. Virg. lib. 7. Æneid.

*Belli causa fuit violatus vulnere cervus.* at quò res evaserat? Non solùm autem potentiorem bello non lacessendum dico: sed ne quidem in auxilium invitandum. Si Impp. Heraclius, Basilius, Constantinus, nec non Johannes Cantacuzenus, Imperatoris Andronici pupillorum Tutores, Amurathem & Saracenos in auxilium non vocassent: proculdubio Constantinopolitanum Imperium hodiè Christianis paréret. Si Solimannus à Vidua Johannis Comitis Sepusij imprudenter satis, ad suppetias sibi ferendas in Hungariam non fuisset evocatus: maxima pars Ungariæ ab eo proculdubio non occuparetur. Sed hoc prætextu auxilij Taurinum, postea Budam occupaverat: donec tandem cupiditate regni adipiscendi inflammatus, majora, cum totius Christiani orbis dispendio, tentaret, & in suam potestatem redigeret. Simile de Ludovico Sfortia * Guicciard. narrat. Atque hìc operæ precium erit monita quædam inserere, ut ea ob oculos habeant, qui Potentioribus bellum inferre, eosve lacessere satagunt. Primò. Ut quantum in ærario habeant, quantosq; reditus ex bonis suis colligant, considerent: Tùm, quantum inter suos & illius populos intersit: pacisne, an belli artibus magis assveti. An ex amore, vel metu obediant. An sponte vel inviti discrimen pro domino subeant. An regio Naturâ, vel arte munita & valida. Quæ commeatum copia & unde; & quomodo comparari possit, in quo plurimùm momenti positum. An armorum copiâ instructi. Quos socios belli, quos amicos, & quot confœderatos. Quos Duces belli; quàm rerum & regionum, in quibus belli gerandum, peritos habeant. Hæc & similia plura, quisq; Impotentior priùs perpendere debet, quàm Potentiorem ad bellum irritabit aut provocabit. Ex re quoq; erit, ea primùm parare, sine quibus bellum nullo modo inchoari, nedum perfici potest. Deinde, licet omnia habeat ad bellum confidendum necessaria instrumenta, cogitet; Ancipitem Fortunæ aleam esse: eosq; non tutò infestari, qui regnorum & populorum numero, qui opibus, & ut supra dixi, amicis, clientelis majores sunt. quanquam parva sæpè manu magnus exercitus fusus fuit:

Iov. in Amurath.

Bontin.

* lib. 4 hist.

Aquila omni graculo fortior.

Sed

cùm illud fortunæ ſit: verendũ, ne victi reſurgentes, iterũ animos ſumãt, & ignominiâ ſeu pudore ſuffuſi, deſperatæ victoriæ causâ te penitùs proterant: *cum his æquè fortuna parens, quandoq; noverca.* quin potiùs, cùm ſe impotentes, aut impares alterius viribus eſſe ſentiant: medijs utantur quibuſcunq; honeſtis ad avertendam alterius potentiam ſibi infenſam: ut tuti in ſuo, & ſua ſalva ſimul maneant. *Potentiores* quippè *nihil æquè perturbat, aut afficit, quàm cùm ab inferioribus & infirmioribus offenduntur.* Emblemate igitur hoc demonſtratur; infirmiores non debere provacare eos, qui ſe viribus omninò ſunt ſuperiores. Leo enim roboris & generoſitatis Symbolum eſt; ut felis, Libertatis; quæ nimirum carceris impatientiſſimum animal eſt: ſed quid ad vires? libertas iſta multos concitat, ad majora facultatibus ſuſcipienda: atteritur autem â potentiore, cum ſe defendere non poſſit. Ut igitur Leonem non impunè felis irritaverit, cujus robur & virtus cum illo non æquiparanda: ita quoq; citra jacturam ſui, & rerum ſuarum inferior, libertate ſuâ abutens, potentiorem injurijs non laceſſiverit. Potentes enim etſi ad tempus diſſimulent injurias acceptas: crebrò tamen irritati, acriùs & vehementiùs eas ulciſcuntur. Symbolum quoq;, CAUTE` AUT NUNQUAM, monet: *Cum Principibus,* ut *Scip. Amirat. ait. *Ludere, acerbisq; eos facetiis ridere, valde intutum eſſe: cùm enim ipſarum in longum memoriam teneant, opportunitatem tibi nocendi ſi compererint, eam non prætermittent. Imò Principes minùs potentes, ſi Potentiores ad bella irritant, vel provocant, rarò ſuccedit, ut citra rerum ſuarum jacturam id tentent.* quare & ille rectè monet

Vide quæ dixi de Libertate Emblem. præcedente.

*diſſert. Polit. lib. 5. diſcurs. 1.

——— *ſcito minori*
*Parcere, majori cedere, ferre parem.*

*Seneca. *Cum pari contendere anceps eſt: cum ſuperiore furioſum: cum inferiore ſordidum.* In hunc ferè ſenſum * Tacit. ait. *Acerbarum facetiarum apud præpotentes longa memoria eſt.*

*de Ira c. 3. 4.

*5. Annal.

EMBLEMA

# EMBLEMA LI.

## SORTE NON PONDERE.



HÆc trutina est procerum: si præstes munia mille;
Sed semel offendas: præstita nulla valent.
Qui meritorum igitur vult præmia digna referre:
Usq; moræ patiens sit; sua gnavus agat.
Namq; probus Princeps scit justa rependere facta:
Mutabit mentem nec levis aura bonam.
Ipse modò optatis fac ne successibus obstes.
Sorte hodiè, haud meriti pondere quæq; valent.

BEatissimus ille meritò censendus, quem neq; vanæ gloriæ cupido; neq; necessitas ulla alijs servire cogit: quiq; suis rebus licet exiguis, & sorte contentus, Libertatem animi & corporis, à servitutis jugo vindicat, inviolatamq; retinet. Qui enim beneficium, quantumvis exiguum accipit: libertatem vendit. Ubi verò nulla libertas est: ibi vix generositas apparet: & quamvis sit, vires tamen suas, metu quodam ejus, cui servit, ne scilicet eum offendat, exerere neutiquam potest. Constringitur enim quodammodo nexu beneficij: ut eâ promtitudine voluntatem suam promere, & exequi non possit, quâ, cum sui juris foret, esset executurus. Verumenimverò, quemadmodum privatis hominibus & plebeijs summæ laudi datur, qui ætatem suam juvenilem & virilem, in honestis opificijs consumpserunt; unde & vitæ sustentationem parare sciunt, & in suo genere præ reliquis præstantiores habentur: Ita Viro Nobili, & generosâ indole prædito, nihil accidere potest laudabilius; quàm si Principibus, sua studia & officia mancipârit; unde quondam & honores & opes certò
NB. » sperare potest. Reges enim & Principes, cùm amplissimas regio-
» nes, & infinitas opes ac magnas habeant, facilè tenujores brevi
» momento evehere, pauperioresq; divitijs cumulare possunt: præ-
» sertim verò, quos semel favore suo propter eximias Virtutes, &
» servitiorum diligentiam, complexi fuerint. his enim duobus po-
» tissimùm, Gratiam Principis sibi quis promereri potest. Quan-
* Plat. de Repub: » quam autem * Plato verè dixerit:

*Regem esse & imperare,*
*Servire, & in gratiâ domini esse.*
*Bellum gerere, & victoriam obtinere.* tria esse, quæ non industriâ, sed fortunâ obveniant. Nemo tamen, (præsertim qui in aulis Principum & Magnatum vivunt,) gratiæ Domini desperare debet: quin magis atq; magis eandem officijs suis aucupandam sibi præsumat: animumq; alacrem ad egregiè exequen-
» da sua munia intendat. Nam, quòd plurimi in aulis Regum & Principum, ad dignitates, honores, & honesta officia non promoveantur: id non fortunæ adversæ: sed suæ vecordiæ & timiditati meritò adscribere debent. Quòd contrà alij divites, potentes, & honoribus amplissimi evadant: id non fortunæ conniventi, aut

eorum,

eorum, qui promoventur, desidiæ, largitionibus & similibus adsignandum: sed diligentiæ, assiduitati, laboribus, & in exequendis munijs promtitudini acceptum ferendum. *Non enim Fortuna* „ *adeò est liberalis, ut quoslibet citra meritum, aut aliquam præceden-* „ *tem causam, ex humili & sordido loco, ad fastigium honoris, elevare:* „ *magnasq́, opes statim, citra respectum tribuere debeat.* Quòd enim „ alij subitò evehantur, fit propterea; quòd digni fuerint: quòd alij deprimantur; quia sic promeriti sint. Ad aucupandam igitur Principis, vel Domini sui gratiam, mille opus est meritis; cùm ejusdem perdendæ unica interdum causa sufficiat, & quidem levissima. Eaq; est Magnatum conditio & natura, ut probos, fideles, & in muneribus exequendis assiduos ministros & servos libenter alant, habeantq;: sed, cùm vel remissiores in officio: vel insolentiores animadvertant, gratiam & favorem suum ipsis facillimè denegent: raròq; id fiat, ut, quanquam crimen, vel culpam eis condonent, eo favore, atq; antea, ipsos prosequantur. Ut igitur gratiam Principis tibi concilies, plurima officia præstare fideliter necesse est: Ut retineas eandem, Integritatem colas. Hæc primus modus est, adipiscendæ simulque retinendæ gratiæ. Authoritas enim & Laus, quæ tribuitur Aulico, Principem sœpè movet, ad eum favore & amore prosequendum. Deinde, cum Scurris, obtrectatoribus, & qui Principi obloquuntur, ne conversator. *Qui* enim *picem contrectat, coinquinat digitos: qui cum malis conversatur, talis esse præsumitur:* hos autem maximè odère Principes, odère boni. Postea; Principis mores, & quibus plurimùm sit studijs deditus, imitare, tuaq; suis applica. Principes enim eos amant, quos suis moribus, naturæ qualitatibus, seu inclinationibus accommodos cognoscunt. Sic Aristoteles ab Alexandro diligebatur, quod ejus ingenium cognitum habuerit. Prudentis igitur erit aulici, se totum ad Principis ingenium fingere; dummodò adulatio & adfectatio absit. Illa enim generosum animum non decet: hæc vituperatur. Hoc quoq; ad gratiam adipiscendam & retinendam facit: Ut raro cum Principe loquatur Aulicus: aut certè saltem de gravibus & necessarijs rebus. Familiaritas enim plebeij cum Principe, nisi prudentiâ temperetur, ignominiam parit: non raro non vitæ discrimen. Sunt enim animi Principum tenerrimi,

& voluntates mutabiles, licet diſſimulare ſciant, facillimèq; aures & oculi eorum offenduntur. Unum verbum importunè, aut imprudenter prolatum, & factum inſolentius præſtitum, mille merita evertit. Emblema igitur hoc, Libra ſcilicet, cujus in lance unâ ſaccus plenus; in alterâ, penna præponderans, ſortem Aulicorum notat. Quemadmodum enim ad ſtateram ſive examen juſtum, merces, & alia revocare ſolemus; ſic Principum animi ad ſuum judicium, ſervorum & officiariorum ſuorum merita, appendere ſolent. Cautione igitur ſummâ opus eſt; qui gratiam Dominorum vel Principum integram ſibi retinere velit. Nam certè, ut quidam ſcripſit, *Ea eſt magnatum trutina, ut ad mille merita, levis offenſa præponderet.* Symbolum SORTE NON PONDERE, docet: Licet fortunæ vis magna ſit in aulis, ut ſæpè plurimi non meritorum pondere: ſed ſorte favente, honoribus ac opibus locupletentur: ſortis tamen propriæ quemlibet meminiſſe oportere; cumque ſit variabilis, ut pote, quæ ſæpiſſimè deprimat dignos indignos contrà elevet; fore, ut qui negliguntur, aliquando patientiæ ſuæ & meritorum fructum ferant. Fide autem, aſſiduitate, conſtantiâ in officijs præſtandis, opus eſt: his enim certior quiſq;, quàm ſortis fiduciâ, reddi poterit: dum modò etiam Principum benevolentiam patienter expectare ſciat; ac velit: quæ largè præſtita officia recompenſat, ſi non moroſè ab illis extorqueatur: de quibus in ſequentis Emblematis explicatione.



EMBLE.

# EMBLEMA LII.

## SIBI IMPUTET.



*HIc ubi jam celsæ conscendit culmina quercûs,*
*Debuit & lætâ carpere summa manu.*
*Apprêndit fragilem sine succo & cortice ramum.*
*Avulsoq; miser de arbore speq; cadit.*
*Non semper Regum caussa est, mutata repentè*
*Gratia quòd propero te fugit ipsa pede:*
*In te sæpè latet: fidens quòd abuteris illá:*
*Prendere nec justo tempore summa scias.*

Aug: lib. 21. de Civit. Dei. cap. 4. & c. 5. Cam. hor. subsec. cent. 1, c. 73.

D. Augustinum in admirationem raptum fuisse, cùm primùm Magnetis virtutem ferrum trahentis agnovit & vidit, scribitur. nec immeritò! Quis enim cum stupore non videat? quomodo, & quare Magnes ab uno latere interdum ferrum attrahat; ab altero repellat? & si allio illinatur, aut fimo tegatur, vires suas attrahendi vel repellendi tàm diu amittat, donec vino abluatur: seseq; in singulis aut versus meridionalem, aut versus Septentrionalem plagam obvertat? Naturæ profectò abstrusum & vix perscrutabile mysterium est, cujus, ut in plerisq; alijs, certa & solida reddi non potest ratio. Si Principum voluntates & animum rectè perpendere voluerimus, cur Aulicis & Officiarijs suis, huic gratiam largè demonstrent: alteri eandem subtrahant, fateri cogemur, non minùs abstrusas in ipsis latére Principibus causas, quas privato nulli perquirere, aut examinare conceditur. Ipsi quidem optimè sciunt, cur sic faciant: sed si is, quem odére, causam perscrutari velit, majorem incurret indignationem, juxta illud: *Sententiam colas regum, non examines.* Fit enim sæpenumerò, ut aulici ipsi, vel exprobratione officiorum præstitorum; vel negligentiâ; vel intempestivis petitionibus honorum; vel insolentiâ suâ, aut simili aliâ quapiam re, (non minùs, atque allium vel fimus magnetis vim attrahendi,) in Principe studium benefaciendi obtundant: cùm contrà alij, amissam gratiam, Vino, id est, suavi quadam & jocundâ hilaritate, & promtitudine officiorum, in Principe revocent, & excitent. *Principes enim, cùm Deorum instar mortalium habeantur; coli volunt humili submissione: utq; ab iis expectentur beneficia, non extorqueantur, ratio suadet.* Quod enim gratis dari debet, nullo jure extorqueri potest. quod verò ex debito; illud obligationem reddendi habet. A Principibus maximè modestè petendum: ne intempestivâ petitione animus eorum offendatur, vel commoveatur. Prudentis igitur aulici erit considerare sedulò, quibus rebus favorem Principis elicere, quibus virtutibus eundem conservare debeat. Virtus enim, Magnes ille est, qui animum Principis ad se amandum trahit: de quo * olim scripsi.

Vide præcedens Embl.

* in meis Epigram;

*Quàm benè conveniunt Virtus Magnesq; ! trahendi*
*Vim natura parem, & robur utriq; dedit.*

*Hoc*

*Hoc inter ſeſe tantùm diſtare videntur:*
*Hic ferrum, aſt homines fortiùs illa trahit.*

Ut igitur Principes cauſam habeant, aliquem promovendi; honoribus & opibus augendi; cavendum eſt, ne ſibi obſtet. SIGISMUNDUS Imp: quodam tempore inſolentiùs conquerenti, quod alijs opes multas daret, ſibi verò, de ſe benè merito paucas, hoc modo demonſtravit: ſe non eſſe in causâ: ſed eumipſum & fortunam. Juſſit duas pixides ejuſdem ponderis & magnitudinis parari: quarum alteram plumbo implevit: alteram auro: adeò, ut ambæ æqualiter valerent: huic poſtea optionem dedit, ſibi alterutram eligendi: ſed cùm ille ex pondere & æqualitate meliorem dignoſcere non poſſet; forte illam apprehendit, in quâ plumbum eſſet repoſitum: quam cùm aperuiſſet, Imperator ei reſpondit, per ſe non ſtetiſſe, quòd eam, quæ auro eſſet repleta, non apprehendiſſet. Ad eum quoq; modum Principes pluribus ſœpè favent, ſuamque liberalitatem & beneficentiam minimè denegant: ſed multi ſunt, qui favorem hunc & gratiam, rectè apprehendere & conſervare neſciunt. de hoc elegans Emblema extat Joh. Sambuci.

*Sunt bina hîc ciſtæ: quarum tenet altera plumbum,*
*Auro ſed gravis eſt altera; neutra patet.*
*Optio ſi fallat, plumbum ut pro divite cœcus*
*Arripias auro: quis tibi cauſa mali eſt?*
*Hinc quibus ingenium eſt, multos fortuna retardat,*
*Indignisq; refert præmia iniqua viris.*
*In Domino non eſt ſemper ditare fideles*
*Culpa: nec immeritos tot cumulaſſe bonis.*
*Nam quos fata premunt; metas contingere fixas,*
*Et miſerâ nequeunt ſe relevare morâ.*

Et non ſecus, atq; ille ſibi damnum meritò imputare debet, qui, cùm arborem excelſam aſcendit magno labore & periculo; fructumq; decerpere jam volens, aridum ramum aliquem apprehendit; cum quo, ab arbore avulſo, ſimul in terram cadat: Sic quoq; & ij, qui, cùm gratiam Principis, vel Domini ſui multis laboribus, & diligenti officiorum functione adquiſiverunt, & fructum jam reportare cupiant, quòd non juſto, aut legitimo modo, honores aut dignitates appetunt, ſuâq; fortunâ uti, aut eam prêndere neſcientes,

nescientes, postea à summo gradu magnâ sœpè cum ignominiâ decidant, sibi suæq; imprudentiæ imputare debent. Casus quidem talis eò accidit acerbior; quòd, ubi jam commodis, ex laboribus & officijs suis præstitis, gaudere quis debeat, se subitò de felicitatis culmine turbatum videt! sed Principi id non semper imputandum: in nobis sœpè causa latet: quòd fortunâ uti nesciamus. Nam, ut benè & sapienter Heraclitus dixit. *Mores hominis Deus, seu Fortuna regit*, & Ovid.

*——— sibi quisq; profectò*
*Est Deus: ignavis precibus fortuna repugnat.* Et alius. *Omnis fortuna in sensu sapientis habitat*. quâ mente & Poëta dixit:
*Suis cuiq; fortuna fingitur moribus.* Emblema igitur hoc Aulicæ felicitatis typum refert. Honores certè instar arboris sunt. Ut enim hanc non nisi magno labore conscendas: ubi conscenderis, majori periculo in eâ consistas: maximo discrimine fructum ejus decerpas: facilè enim ex imprudentiâ ramum aridum pro viridi & sano arripias: exinde casus & vitæ jactura: Sic Honorem, Virtutis præmium, qui capessere vult; multis & assiduis actionibus honestis eum comparet sibi necesse est: ardua virtutis via: quam nisi prudentia regat, in devia facilè pervenias. In capessendis aulæ honoribus maximè enitendum; ut suâ fortunâ quisque rectè utatur: qui enim rectè uti sciverit, meritò lætabitur: qui secus, dolebit. SIBIQUE IMPUTET, quòd vel insolentiâ, vel negligentiâ, vel aliâ quapiam re, animum Principis à se alienum reddiderit, & intempestivâ, vel imprudente ratione commodis suis ipse obstiterit. *Eum* enim, *qui suâ ipsius culpâ damnum sentit, damnum non sentire: quo ad juris considerationem, quæ huic damno non patrocinatur* scribit Pomponius lib. 8. ad Quint. Mucium. quod confirmatur in l. qui proprio. ff. de procurat. l. inter coheredes. §. quod ex facto. ff. fam. ercisc. l. si communis ff. de nox. actio. Æquum enim est, ut qui propriâ culpâ damnum patitur, de se ipso queratur, ac pro eo habeatur, quasi passus non sit: occasionem enim præbuit, & sic voluisse videtur. *volenti* autem *non fit injuria* l. 1. §. usq; adeò ff. de injur. Hippol. à Coll. hìc post Decium & Ferrarium. de R. I. Notent & aulici Scalam hanc.

* Ioh. Owen. Angl.

* *Nemo, gradus nisi per plures, ascendit in aula:*
*Ad descendendum plus satis unus erit.*

# EMBLEMA. LIII.

## JUNCTIS VIRIBUS.



*MAximus in Regem populi tunc cernitur ardor:*
*Cùm belli & pacis tempore poscit opem.*
*Hunc si Consiliis, opibus, si pectore forti,*
*Servandam ob patriam sponte juvare cupit.*
*Et meritò! quoties nam publica caussa laborat;*
*Vix sine privatà clade perire potest.*
*Viribus hanc igitur junctis, opibusq; levare;*
*Civis opus grati est, est pietatis opus.*

Val. Max. lib. 5. cap. 6.

Cùm Secundo bello Punico Romanorum ærarium exhaustum esset, propter belli diuturnitatem: tota Civitas tanto patriæ amore flagravit; ut Viri fœminæque, quicquid auri argentive habuerint: item pueri, Insignia ingenuitatis, (ea fuère Bulla ex auro vel argento, figuram cordis repræsentans, quam ante pectus annectere solebant; ut hanc inspicientes, ita demum se homines cogitant, si corde præstarent: hinc & de eâ Persius scribit.

Macrob:

*Cum primùm pavido custòs mihi purpura cessit,*
*Bullaq; succinctis laribus donata pependit.*)

contulerint: ac ne beneficio Senatus, (qui muneribus functos tributi onere liberaverat,) quisquam uti voluit: sed insuper id omnes promptissimis animis præstiterunt. Quid ad amplitudinem nominis Romani & gloriam adijci potuit majus? quid ad splendorem ejusdem illustrius? quid tandem ad immortale decus Pop. Rom. solidiùs accedere potuit? nisi hoc, quod tàm naturæ legibus, quàm honestati & utilitati communis Patriæ congruum, Reip: Rom. apud posteritatem famam æternam & laudem perennem pareret. Insidebat enim pueris & sexui fœminino generosa vis quædam in animis, quæ eorum mentes tacitè extimulabat ad communem patriam juvandam & servandam: nomenq; sibi illustre apud posteritatem quærendum Ratio recta monebat, publicâ salute eversâ, privatorum neutiquam incolumem potuisse subsistere: illamque propriæ anteferendam esse. Nam, ut Pericles apud Thucydidem prudenter monet: *Cùm evertitur patria, is, cui privatim benè est, nihil tamen minùs & ipse evertitur: cui autem malè, is in illâ prosperè agente, multo magis incolumis est.* Et Cæsar ad suos legatos & Centuriones inquit, apud * Dionem: *Privatim quidem nemo omnium ita potest lætis rebus uti, ut non idem cum Repub: corruente pereat.* At Respublica *si prospero successu utatur, etiam privatorum omnes potest calamitates sublevare.* quò semper Romani illi respexerunt antiquiores, præsertim, qui in Magistratu, aut publico aliquo officio constituti erant, omne studium suum eò conferre soliti fuerunt: ut publica commoda, à privatâ utilitate separarent, & illis magis, quam huic studerent. Et ut Val. Max. ait: AMPLISSIMUM EST PATRIMONIUM ROMANA CONCORDIA, & paulò

Thucyd. de bello Peloponesiaco. & Cam. hor. subcis. cent. 2 c. 45.
*Roman. hist. lib. 38.
Val Max, lib. 4. c. 4.

paulò post: *Animi virorum & fœminarum vigebant in Civitate: eorumq; bonis, dignitatis æstimatio, cunctis in rebus ponderabatur: Hæc Imperia conciliabant, hæc jungebant affinitates: hæc in foro, hæc in Curia, hæc intra privatos parietes plurimùm poterant. Patriæ enim rem unusquisq;, non suam augere properabat: pauperq; in divite, quàm dives in paupere Imperio versari malebat. Atq; huic tàm præclaro proposito illa merces reddebatur, quod nihil eorum, quæ virtuti debentur, emere pecuniâ licebat: inopiæq; illustriorum virorum publicè succurrebatur. hæc ille.* Unde & Cn. Scipionis filiæ, cùm ex Hispaniâ Senatui scripsisset, petens, ut sibi successor mitteretur, quia virginem adultæ ætatis haberet, neq; ei sine se dos expediri posset: Senatus, ne Respublica bono duce careret, dotem ex ærario publico erogavit. Hæc sanè Benevolentia subditorum erga Principem suum, ubi spontanea est; præsertim rebus necessitate aliquâ belli astrictis; vel alio quopiam urgente casu publico, ut omnes cives porcionem aliquam facultatum suarum, ad bonum publicum promovendum, augendum, vel etiam conservandum, conferant: suaq; promtitudine & studio, necessitatem publicam sublevent: non video, quid firmius ad dignitatem Imperij servandam, quid ad propulsandam vim hostium fortius, ad ornandam Rempub: ad pietatem erga patriam laudabilius unquam accedere possit? Felicem autem, & multis nominibus populum illum beatum dico, qui apud se sedulò perpendens, res suas in publico bono sitas esse, privatis non parcit opibus; ut publicæ conserventur. Nam *qui res suas ex Reipub: statu considerat, illas sine hac nequaquam stare posse intelligit.* Et Tacit. rectè ait de Britannis in Agric. *Olim regibus parebant, nunc per Principes factionibus & studiis trahuntur. Nec aliud adversus validissimas gentes pro novis utilius, quàm quod in commune non consulunt. Rarus duabus tribusq; civitatibus ad propulsandum commune periculum conventus. Ita dum singuli pugnant, universi vincuntur. &c:* Quantum igitur boni & utilitatis Reipub: accedit ex amore, pietate & benevolentiâ Civium in patriam: tantò plus incommodi & periculi quoq; emergit, dum quisq; rebus suis privatis tantùm studens, publica bona negligit: & necessitatem publicam, belli præsertim tempore, cùm ærarium exhauritur, sublevare detrectat.

Camer. hor. suc. cent. 1. c. 32. ex Gagvino in hist. Francor. lib. 9. c. 3.

Concordia tutissimum præsidium Reipubl: est cujusq;: quæ ubi animis civium idem sentientibus, Re & Facto fuerit demonstrata Principi; hostiles acies, & quicquid adversi Respublica habebit, omninò cedere cogentur. Hinc Emblemate hoc, manibus multis Coronam sustinentibus, vel levantibus: Commune bonum noto. Principes enim tutiùs res bellicas & pacatas peragere, extra omne dubium est; cùm subditi, amore, obsequio, benevolentiâ & opibus, alacres ad juvandam publicam utilitatem sese offerunt. Ut enim oculi plus vident, quam oculus. Et multæ manus plùs efficiunt, quàm una. Ita in conservandâ salute publicâ, cùm cives unanimi consensu & auxilio studia sua præstant; fieri nullo modo potest, quin illæsa & tuta maneat contra vim externam. Addidi SYMBOLUM, JUNCTIS VIRIBUS. Ubi enim commune periculum, commune adesse debet ad propulsandam vim auxilium. Hinc & Ovid:

*Et quæ non prosunt singula, multa juvant.*

Ut itaq; subditi Principes suos re & opibus tempore necessitatis juvent, ratio suadet. Hoc enim pietatis officio neglecto, idem eis evenire necesse est, quod membris corporis, cùm alimenta ventriculo subtrahuntur. *Seneca. *Homo in adjutorium mutuum generatus est.* *Idem. *Hoc ab homine exigitur, ut prosit hominibus, si fieri potest, multis: si minùs, paucis: si minùs, proximis: si minùs, sibi.* *Idem. *Omne hoc, quod vides unum est, membra sumus corporis magni, natura nos cognatos edidit, cùm ex iisdem, & in eadem gigneret. Hæc nobis amorem indidit mutuum, & sociabiles fecit: illa æquum justumq; composuit, ex illius constitutione miseriùs est nocere, quàm lædi, ex illius imperio paratæ sunt juvantis manus. Iste versus & in pectore & in ore sit:* Homo sum, humani nihil à me alienum puto. *habemus id commune, quod nati sumus. Societas nostra lapidum fornicationi simillima est, quæ casura, nisi invicem obstarent. hoc ipso sustinetur.*

*Seneca de Ira. 1. s. 23.
* id. de vit. beat. 30.
* Id. lib. 15. epist. 96.

EMBLEMA

# EMBLEMA. LIV.

## SIC CONTERIT ÆTAS.



ORtus regnorum, progressus & ultima finis,
 A solo pendent hæc moderante DEO.
Quæ quantumq; diù benè firmâ lege regantur;
 Attamen hæc tandem certa ruina manet.
Cernis ut annosæ jam summa cacumina quercus
 Arent, & medio corpore rupta ruit!
Hæc immota quidem quàm-plures floruit annos.
 Se terræ inclinans, nunc peritura cadit.

Cùm Justinianus Cæsar Gelimerem Vandalorum Regem, vinctum cathenis unà cum uxore & regiâ familiâ in triumpho duceret: in conspectum Imperatoris ductus pleno ore risit. Cùm itaq; eum ingenti dolore perculsum, mente captum esse putarent: ferunt illum dixisse: se ridere fortunæ humanæ vicissitudines: ut qui modò Rex fuisset, jam serviret. Sesostris Rex Ægypti, cùm aliquando curru veheretur, qui à quatuor regibus captivis trahebatur, atq; unus ex illis Regibus, sœpè respiciens rotam intueretur, interrogatus à Sesostri, cur toties respiciat? Intuens, inquit, rotæ volubilitatem, in quâ citò ea, quæ summa fuerunt, fiunt ima, cogito de fortunâ nostra. Hac admonitione motus Sesostris, factus est moderatior, & Reges liberavit. Magnus in illo animus, fortunæ varietatem solidè ferens & contemnens; in hoc humanarum rerum fragilitatis agnitæ laudatur consideratio: Fatiq; & Necessitatis in humanis rebus, suo modo sese exerentis, diligens cogitatio. * *Æterna* enim *lex à principio dicta omni huic Mundo, nasci, oriri, aboriri: nec quidquam stabile aut firmum arbiter ille rerum esse voluit, præter ipsum· cujus est proprium: erecta deiicere, dejecta erigere. Omnia ista, quæ suspicis, quæ miraris, vicibus suis aut pereunt, aut certè mutantur.* * *Omnibus creatis hoc est ingenium, ut insitâ quadam vi ad mutationem ferantur & casum. Ut ferro consumens quædam rubigo per naturam agnata est: ligno exedens caries, aut teredo: sic animalibus, opidis, regnis, interna & suæ causæ pereundi. Supera, infera, respice; grandia, parva; manufacta, aut mente: ab omni ævo corruunt, & corruent in omne ævum.* Imperiorum & regnorum principia, progressus, mutationes, eversiones si diligentiùs consideraverimus: fatebimur pleraque à parvis initijs crevisse, à mediocribus causis conservata, à levibus sœpè eversa, aut translata fuisse. Resq; publicas potentiores (quod supra quoque notavi) quingentis annis plerunq; floruisse, plurimas hunc terminum non attigisse paucissimas superasse. Annos 520 Assirij tenuerunt Asiam: postea Medi eam occuparunt illis excussis. Medorum potentia annor. fuit 220. Monarchia Persica, quæ è Cyro usq; ad Darium ultimum, opibus & potentiâ floruit annos 230. armis Alex. Magni dissoluta curruit. Græcorum Monarchia 250 annos duravit, vel circiter, inchoata ab Alexan-

*Lips lib. 1. c. 16. in pr. de Constantiâ.

*Idem, cap. 15.

ab Alexandro: tandem poſt dimicationes longas, ad diſtinctos Macedoniæ, Syriæ, Ponti & Ægypti Reges devoluta. Annis 500. ab expulſis Regibus, usque ad Monarchiam Auguſti, rexerunt Rempub: Romanam Coſſ. formâ gubernationis mixtâ ex Ariſtocraticâ & Democraticâ. Annis ferè 500 elapſis ab eo tempore, quo Conſtantinus Imperij ſedem Conſtantinopolin tranſtulit ex Italiâ, Carolus Magnus, victis & domitis Longobardis, qui Gottos ante debellatos depulerant, Imperium occidentis in libertatem aſſeruit & inſtauravit. * Regnum Poloniæ Ducibus antea parvit, donec tandem ſub Boleslao Chabri dicto, in formam Regni redactum: ipſe quoq; Boleslaus * ab OTHONE IMPERATORE ROM: Coronam regiam accepit, eaq; inſignitus, Primus POLONIÆ REX fuit. Marchionatus Moraviæ Regnum antea fuit. ſub Vratislaö II in Bojemiam translatum eſt: & ex Bojemico Ducatu regnum, ex Moravico verò regno Marchionatus factus eſt. Quin iſta ſummo rerum omnium moderatore & arbitro fiant, nemo ſanæ mentis negare poteſt: qui pro inperſcrutabili, & liberrimâ voluntate ſuâ Reges & regna conſtituit, conſtituta deſtruit, & deſtructa erigit, nemine noſtrûm ſciente, cur ita faciat: niſi ut ſciamus & credamus, eum eſſe Dominum rerum, & regum, & liberrimum agens. *Vos igitur*, ut * Lipſius ait; *qui in Regno aut Republicâ, ſcite: ferri & volvi omnia ſurſum, deorſum, & nullius rei eodem ſemper loco ſtare fortunam, &c*: Nil vobis hoc in fragili rerum ſtatu ſolidi promittitote, præter factorum piè, honeſtè, laudabiliter, quod eſt verè regiè, geſtorum gloriam; & nominis veſtri apud poſteritatem, immortalem & ſolidam famam. Si ſceptro, ſi opibus, ſi populis ſuperbitis, fallax ex ijs, & non diuturna voluptas. Temporis iſta omnia ſunt dona & rapina, imò minæ. Flectite oculos in veſtri generis Imperatores, Reges, Principes, Duces: ſortis veſtræ viciſſitudinem cognoſcetis. Africæ Sultanus veteri & feliciſſimo regno exuitur & vitâ. Bajazethes Turcorum Imperator caveæ incluſus, ludibrium circumvectatur. Crœſus opulentiſſimus ducitur captivus. Craſſus antea ditiſſimus, pauper obit. Beliſarius ſtipem petit oculis privatus! Exempla ſunt infinita mutatæ fortunæ, rebus in humanis laſcivientis; quæ hîc omnia conferre unum in acervum, longùm nimis foret. Præteriti tantùm

* Vide Cromerum, Miechovium, Gagninum, & alios de rebus geſtis Polonorum.

* Anno Chriſti 999.

* Lips. in not. Polit. ad lib. 1. pol. c. 4. mihi fol. 13.

seculi ab anno 1500 tragica exempla virorum Illustrium, si quis recognoscere velit, videat* Speculum Tragicum; vix sine lacrymis leget: & vix sine gemitu fortunam magnorum virorum considerabit. Non solùm autem hominibus, (quibus Natura breve vivendi tempus circumscripsit, & vix * ultra 100 an.) Fortuna noverca est: sed & Imperijs & Rebuspubl: quarũ felicitas, vix tuta ab illa: quin peractâ periodo aut mutentur, aut convertantur, aut transferantur, aut omninò ruant. Quid nunc Græcia? ubi Romana gloria? *Olim** ( Lipsius inquit) *Oriens floruit, & Assyria, Ægyptus, Iudæa valuere armis ingeniisq́: sors ea in Europam transiit: quæ tamen ipsa, ut corpora, instante morbo, vibrari mihi nunc videtur, & præsentiscere magnum suum casum.* hæc ille. Hac ex consideratione Emblema præsens factum. Quercus nimirum annosa, vetustate corrupta & ruens, quæ hieroglyphicè Imperium & diuturnitatem significat. Per coronam autem, quercum ambientem simulq; disruptam, regnorum lapsum innuere volui & mutationem. Symbolum rei conveniens adjeci. SIC CONTERIT ÆTAS. Nihil est enim, principium habens, cui suus non immineat & impendeat finis. Nam,

*Omnibus hunc finem statuit Natura creatis:*
*Ut cùm sint aliquid; sint aliquando nihil.*

* Seneca. *Quòd regnum est, cui non parata sit ruina & proculcatio, & dominus & carnifex? non magnis ista intervallis divisa, sed horæ momentum interest inter solium & aliena genua.* *Et alibi: *Quicquid longa series multis laboribus, multa* DEI *indulgentia struxit, id unus dies spargit ac dissipat. Longam moram dedit malis properantibus, qui diem dixit horam, momentumq́ temporis evertendis imperiis sufficere.* Curtius. *Magnæ arbores diù crescunt, unâ horâ extirpantur.*

*Iohan. Dickensoni.

*Vide elegantem tractatũ, de quæstione, An quilibet præsumatur vivere centũ annos, ex l. fin. C. de SS. Eccles. & l. an usus fructus. ff. de usufruct. autore Henr. Cnaustino.

*de Constant. c. 16.

*1. de tranquil. 11.

*lib. 14. ep. 92.

FINIS